



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber IV. Complectitur dogmata, & opiniones SS. Patrum, aliorúmque
scriptorum, prioribus tribus æræ Christianæ Sæculis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis. Nomen, aut cognomen Cephas, quod in Syriaco petram significat, impositum à Salvatore Simoni fuit, quamprimum ad ipsum à fratre adductus fuit, ut est apud Joannem. ¹ Evangeligraphi in Græco reddiderunt πέτρον, quia in illâ linguâ & πέτρος dicitur, & πέτρα. Immo in hoc vocabulo masculinâ inflexione uti solent Scriptores Attici; neque defunt in idoneis Scriptoribus exempla. Strabo ter ita habet in unâ, eadêque periodo. ² Retinuit hoc fideliter versio latina, cum melius etiam hoc modo ad viri se nomen vox ita accommodet. Consideremus jam, præsentem fuisse Discipulos, Christumque soli Petro, quem per nomen Patris sigillatim designabat, dixisse, beatum illum esse ob habitam revelationem supernam, quæ certè ad ipsam solum pertinebat; vel le item se petræ huic suam inædificare Ecclesiam, portæque inferni nunquam adversus illam prævalituras; commissurum se ipsi claves, & quantum ligaverit in terris, tantum quoque ligatum iri in Cælo. Quo igitur pacto propositionum 101. proscriptio omni adhibitâ solennitate à Petri Successore decreta prætendi poterit erronea, aut invalida ab eo, qui fidem habet Scripturæ.

CUM S. Petrus à Servatore in signum, quod eximium aliquod documentum daturus esset, ter interrogatus, num se plus, quàm ceteri diligeret, ter quoque respondisset, se diligere, quid ei reposuit Christus? *Pasce agnos meos, ³ pasce oves meas.* Erat igitur dilectio Petri superior, quàm ea, quæ erat in ceteris, ac proinde soli ipsi propria. Atque per hanc porro effectum fuit, ut omnibus ipsum Dominus præficeret, juberetque oves, & agnos pascere. Est igitur & Successorum, pa-

scere quemvis de grege, cujuscunque demum ille conditionis fuerit. Quis est, qui ignoret, per *pascere* intelligi docere, instituere, corrigere? Qui igitur obedientiam detrectare possit, oblectarique in materiâ dogmaticâ adversus summi Pontificis solennem decisionem, eamque à Catholicis quibusque Diæcesibus cum veneratione admissam?

5. DICEBAT aliquando Christus ad Petrum præsentibus ceteris Apostolis, tentandos eos fore à satanâ; sed rogasse se pro eo, ut non deficiat fides sua, & ipse aliquando conversus confirmet fratres suos. ⁴ Loquebatur itaque ipsi, non ceteris; quia alios ipsi committebat regendos. Nequit itaque fieri, ut fides & sana doctrina in D. Petri sede deficiat; spectâtque ad hanc ipsam sedem, omnes reliquos in eadem confirmare. Quam ob rem necessum est aut fidem derogare Evangelio, aut Bullam *Unigenitus* pro regulâ indubitâ, & verace admittere. Idem dictum esto de anterioribus, quibus Jansenii, Baji, aliorumque hujus fursuris hominum doctrinæ ustulatae fuerunt, atque proscriptæ; idque eò magis, quod Decreta jam dicta, uti & hoc postremum, ab Ecclesiâ universâ, ejusque Catholicis Pastoribus lubenti animo admissa fuere, plausuque excepta; exceptis duntaxat paucis quibusdam sectæ huic miserum in modum adhærescentibus; quod in omnibus anathematis Conciliorum etiam Oecumenicorum, primorumque sæculorum semper evenit. Nihil itaque ad obsoletarum, explosarumque hujusmodi propositionum internoscendum venenum, atque ad Bullæ hujus & æquitatem & supremam auctoritatem intelligendam ampliùs desideratur, quàm ut quis veteris, novique Testamenti dogmata, & præcepta accuratè discutiat.

VERUM pertexere nos oportet telam, quam cepimus; appellentes jam animum ad indagandas, proferendâsque in medium Opiniones & Dogmata priorum Æræ Christianæ Sæculorum in argumento, quod hic versandum suscepimus.

(1) Jo. I. 42. Tu es Simon filius Jonæ: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. (2) Strab. l. 17. p. 1173. & πέτρον. (3) Jo. XXI. 15. Diligis me plus his? pasce agnos meos; 17. pasce oves meas. (4) Luc. XXII. 31. Simon, ecce satanas expetivit vos &c. Ego autem rogavi pro te &c.

FINIS LIBRI TERTII.

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER IV.

Complectitur Dogmata & Opiniones SS. Patrum, aliorumque Scriptorum prioribus tribus Æræ Christianæ Sæculis.

I. APOSTOLORUM jam inde ætate usque ad quinti sæculi initium nullæ insurrexerunt sectæ, quæ quidem de proposito adversus hæc dogmata animos, &

G

arma verterent. Accidit tamen, ut hæc etiam ex parte cum aliis confuse erroribus illius tempestatis hæretici veritatem acriter impugnant; id quod omnes præstiterè, negando libertatem voluntatis in homine, eumque omni privatum esse arbitrio, asserendo. Ità fecerè varias in sectas dissecti Gnostici, Marcionitæ, Manichæi. Opiniones Gnosticorum, & Valentinianorum, qui latius sese diffuderant, inter ceteros colliguntur à S. Irenæo; qui prolixè eosdem confutavit. Existimabant illi, salutem, & damnationem procedere à diversâ naturâ, eamque necessariò in causa esse, cur bonâ alii, alii pravâ indole nascerentur; sinistræque illa Apostoli verba: *spiritualis*, & *carnalis*, accipientes conabantur persuadere, *spirituales* quidem esse electos, carnales verò esse homines vitio naturæ perditos, iacturæque irreparabili. Vestigia horum præstitit Marcion, qui secundo christiano sæculo latè sua disseminavit deliria. Duo ille, ut quidem Tertullianus, tria, ut Epiphanius, quatuor, ut Theodoretus Author est, principia admittebat. Verùm quidquid fuerit, profluebat necessariò malum ex malo principio; & liberum concidebat arbitrium.

Manichæi. 2. MANICHÆI diffundere se cœperunt tertio Sæculo. Ipsorum placita proponuntur compendio ab Archelao Episcopo apud Epiphanius. Affirmabant hi, duo esse principia, aut duos Deos perinde æternos, at inter sese oppositos; bonum unum, malum alterum; ab hoc carnem, ab illo animam provenire tanquam boni DEI particulam, corporis tamen commixtione contaminatam, atque corruptam. Aiebant, non provenisse à libero arbitrio principium peccati; atque ab hoc cetera deinceps mala, sed à pravâ naturâ. Indomitarum cupiditatum nostrorum authorem faciebant ipsum DEUM. Qui animarum admittebant præexistentiam, adscribebant meritis præteritis electionem, & reprobationem hominum. Inter ceteros errores propugnabant fatum, idest communem quandam & genericam eorum, quæ sunt, & accidunt, necessitatem. Advertit S. Epiphanius, fuisse etiam in Phariseis hoc dictamen. Docet, derivatam pariter à Stoicis fuisse opinionem illam de fato, & *nativitate*, ex qua omnia regantur, & pendeant. ¹ Sane inquebat Seneca: ² *Quid est boni viri?*

Fatum asseritur ab hæreticis, & Paganis.

præbere se fato: grande solatium est cum universo rapi. Inquebat: *Irrevocabilis Divina paviter, atque humana cursus vehit.* Et alter Seneca in noto illo Jambico:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Antiquioribus jamtum temporibus non Zenon modò, sed & Chrysippus, multique alii docuerant: *evenire omnia secundum fatum.* ³ Quâ opinione admittâ omnis subversa jacet libertas. In summâ, ex his, pluribusque aliis hæreseon illorum temporum deliriis generalis instar consecutionis profluebat, hominem privatum esse arbitrio, nec bene operari posse, qui operatur malè. Non ommittebant in rem suam proferre nonnullos ex locis antè à nobis adductos, speciatim ex D. Paulo ad Romanos.

OMNES isti fuscè hæc in parte repressi, convictique fuere à Patribus antiquis, & ab insignibus primorum quatuor sæculorum christianorum Scriptoribus. Refereamus itaque, atque sub conspectum dabimus, quæ in iisdem reperiuntur, atque ad nostrum institutum pertinent. Quemadmodum autem hoc non est Tractatum componere, sed historicam Relationem scribere; ità nullam ponemus operam in separandis illis, quæ ad unum controversiæ caput, quæ item ad aliud possent quidquam adferre momenti. Quin potius loca, quæ ad hujusmodi materias referuntur, simplici explicatæque narratione recenserebimus.

3. In Epistolâ S. Barnabæ, aut quæ saltem jam indè à Clemente Alexandrino citata fuit tanquam sua, hanc legimus sententiam: ⁴ *Via igitur lucis hæc est: si quis vult ad locum destinatum pervenire, operibus suis festinet.* S. Clemens Papa, Divi Petri discipulus, quique unâ cum ipso ad fundandam Ecclesiam conspiraverat, recurrenti ad se ob natas apud se dissensiones & controversias Corinthiæ Ecclesiæ respondit duabus, iisque insignibus Epistolis, quarum priore quidem pronunciavit, injustam fuisse quorundam dejectionem de gradu factam Corinthi. Hæc verò docet, *priscis temporibus omnes gloriam, & augmentum fuisse consecutos non se ipsis, aut suorum virtute operum... sed DEI voluntate. Atque eodem modo justitiam nos adeptos non esse nostrâ virtute, aut sapientiâ, neque bonis operibus à nobis factis, sed per fidem, quâ omnes à sæculo omnipotens DEUS justificavit.* ⁵ Repetit sæpè phrasî Scripturæ, &

Confutatur à Patribus.

Epistola S. Barnabæ.

(1) de Har. l. 1. *ἡ μακροχρόνιος τὴν ἐξουσίαν, καὶ τὴν γνῶσιν, ἢ ἡ τὰ πάντα διακρίνει καὶ πάγει.* (2) de Provid. c. 5. (3) Laërt. in Zen. *κατ' ἐμπερίαν δὲ φασὶ τὰ πάντα γίνεσθαι.* (4) S. Barn. Epist. *ὅτι ὁδὸς τῆς φωτὸς ἐστὶν αὐτῇ τὰς τῶν θεῶν ἐκείνων ἐπὶ τοῖς ἀρεταῖς τοῖς, οὗτοι οὖν τοῖς ἔργοις αὐτῶν* (5) *πάντες ἐκ ἐκδοχῶν, καὶ ἐμπαρονομασθέντες ἡ δι' αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν. ἡ τῆς δικαιοπραγίας ἔστι, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντα τὰς αὐτῶν αἰῶνες ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἰδομεν.*

Prophetarum, ut properemus cum assiduitate, & alacritate omne opus bonum perficere: debere id à nobis fieri ex totis nostris viribus, & sine negligentia, aut segnitie; ex ipso enim esse omnia, quandoquidem jam prædictum sit nobis: Ecce DEUS vester, ecce Dominus DEUS . . . ecce merces ejus cum eo, ut reddat unicuique secundum opera ejus.¹ Advertit etiam S. Clemens, efferrī superbiam non debere castum, cum sciat, alium esse, qui suppeditet continentiam.² Monet, quantum præstet confiteri peccata, quam cor obdurare exemplo Pharaonis; suadetque, ut precemur pro hominibus in peccatum quoddam prolapsis, quod nimirum demissè incipiat de se sentire, seque non nostræ, sed Divinæ permittat voluntati.

4. In alterā Epistolā pariter monet, venisse redemptorem ad pereuntes, hoc est peccatores servandos ab interitu, nostrumque præmium fore ipsius confessionem; confiteri autem ipsum non esse aliud, nisi facere, quæ dicit, & non immorigerum se præbere præceptis;³ quandoquidem ad nihil conferat invocare ipsum, si non opere eundem confitemur. Docet, res magnas nobis promissas esse à Christo; ad consequendas tamen illas necessarium esse, ut vitam degamus sanctam, parvique faciamus, quidquid caducum est, & mundana aspiciamus non ut res nostras, sed ut alienas.⁴ Si contemnemus, ait, ejus præcepta, nihil poterit æterno nos eripere supplicio. Neque Patronum ullum inveniemus, præter sancta, & iusta opera. Decertemus itaque, ut omnes coronemur. Agamus penitentiam, dum hanc vitam agimus; ex hac enim ubi excesserimus, nec confessio amplius, nec expiatio habebit locum. Exhibeamus nosmet ipsos Cælesti medico, dum tempus est recuperandi sanitatem, reddamusque ipsi ἀντιδωρον: at quodnam? verum sincerumque animi dolorem. Non imitemur illos, qui deliciis nobis olim promissis anteferebant præsentia.

II. EPISIGLÆ S. Ignatii Mart. ad Smyrn. hoc est initium: Ego glorifico Jesum⁵ Christum Deum, qui vos reddidit tam sapientes. Ibidem: Secundum voluntatem dignus effectus sum, non secundum meam con-

scientiam, sed per DEI gratiam, qualem totam mihi concedi rogo, ut per orationes vestras DEO potiar. Et deinde: Si vos volueritis bene operari, DEUS ad id concedendum promptus erit. At in Epist. ad S. Polycarpum hoc habetur enunciatur, quod solum tantundem ferè complectitur, quantum integer edocere nos posset Tractatus. Vos esse perfectos, & DEI opus est, & vestrum.⁶

IN Constitutionibus, quæ vulgo Apostolicæ vocantur, ita legimus: Esse probum, nascitur ex cujusque bonâ voluntate: at patrare miracula, à potestate oritur facientis.⁷ Ità & paulò post docetur: In nostrâ positum esse facultate, ut fiamus Christiani, hoc est, ut credamus; non item ut Apostoli evadamus, vel Episcopi. Dicitur ibidem: Ex vobis, qui non ex necessitate credidistis in unum Deum, sed qui vocati scientes ac prudentes obedivistis, beati sunt oculi, quia vident, & aures, quia audiunt, soluti vinculis, & exempli servitate. Dum interim illis, qui non regionis, aut sectæ vitio, sed enormi occæcati malitiâ nec videre voluerunt, nec audire, præcepta dedi non bona, & justificationes, in quibus non vivant; non bona ad scopum ipsorum, quemadmodum insipide ægrotis sunt medicinæ; & justificationes, quas non exequentur.⁸

2. Si hebræo etiam Scriptori concedere hic locum volumus, Philo locutus fuit in hunc modum:⁹ Quilibet nostrum simulacrum natum est, ingens DEI donum invenit, nempe Universum. Sed & specialia dona sunt, quæ & DEUM largiri, & homines recipere convenit, virtutem nempe, ejusque actiones. Paucis interjectis cohortatur ad orandum Deum, ut nō evadamus mali promotores. Quod ad arbitrium attinet, notavit, non laudari plantas, nec bruta animantia à suis fructibus: at jure animam hominis; quippe quæ sola motionem voluntariam à Deo nata est, omnisque necessitatis immunem. Condidit DEUS hominem liberum, suæque Dominum electionis, ut suo permissus arbitrio faceret, quod lubet, cognitaque virtute, & vitio id, quod melius est, eligeret.¹⁰ Hinc illa Deuteronomii sententia: Appo-

Philo.

Epistola S. Ignatii M.

(1) n. 3. ἀλλὰ σπεύσαντες μετὰ ἐκτενείας καὶ προθυμίας πάντες ἔργον ἀγαθὸν ἐπιτελεῖν . . . ἐξ ὧν, ἰσχύος ἡμῶν, n. 34. ἔξ αὐτῆς γὰρ εἰσι τὰ πάντα. Isai. XL. 10. LXII. 11. (2) n. 38. ὁ ἄνθρωπος ἐν τῇ σαρκὶ καὶ αἰσθητικῶν γινώσκων, οὗ ἑτέρος ἐστὶν ὁ ἐπιχειροῦν τῇ ἐγκρατείᾳ, n. 56. καλοὶ γὰρ ἀνθρώποι ἐξομολογούμενοι ἐν τῇ καὶ τῇ πείρᾳ, ἀλλοί, καὶ μὴ παρακινῶντες αὐτοὺς τῶν ἐντολῶν. (3) Epist. 2. n. 4. ἐν τίνι δὲ αὐτοὶ ἀπολογούμενοι ἔργα ἡρώδης εἶναι, καὶ δικαία. ἡμεῖς δὲ ἀγωνισάμεθα, ἵνα πάντες τεφρανῶμεν. (4) κατὰ Σίληναι δὲ κατηξιώθη. &c. ἔλασσε γὰρ ὁ μὲν ἐντολῶν Θεὸς ἑτοίμος εἰς τὸ παραγγῆναι. (5) Ad Polyc. τὸ τοῦ ἔργου Οὐδὲν ἐστὶν, καὶ ὡς, ὅταν αὐτὸ ἀπαρτίσιν. in antiqua versione: Quoniam ipsi perfecti estis. Melius fortè ita redderetur: Opus hoc, cum perfeceritis, & DEI, & vestrum est. (6) Const. Apost. I. 8. c. 1. τὸ μὲν γὰρ εἶναι ἐν τῇ ἐκ τῆς τῶν τινος ἐντολῆς, τὸ δὲ διακρίνειν ἐκ τῆς τῶν ἐντολῶν δυνάμει. (7) lib. 6. c. 21. ἐκ ἀπὸ ἀνάγκης, ἀλλὰ ἀπὸ γνώμης ὄντες &c. Ezech. XXII. 25. (8) Phil. de Temul. p. 258. εἰσὶ δὲ ἐν μέρῳ δικαίᾳ, ἀς Θεὸς τὴν δόξαν, καὶ λαβεῖν ἀνθρώποις ἐν τῇ αὐτῇ δόξῃ εἶναι ἀρετῇ, καὶ αἰ κατ' αὐτὰς ἐνέργειαι. (9) de Dei Immutab. p. 300. ἐξάσταντο μὲν γὰρ αὐτοὶ, ἀφ' ἑαυτῶν, καὶ ἐκείνους ἐκείνους καὶ προαρετικῶς χρησάμενοι ἐνέργειαι.

sui tibi bonum & malum; si unum & aliud non esset in potestate nostra, nec premio possemus affici, nec poenâ, dicebat Athenagoras.¹

Prædicant
tur Patres à
suspensione
Semipelagianismi.

III. SE DOfferre se modò incipiunt Authores illi, à quibus integra nobis relicta fuere volumina; quique proinde extiterunt canales principes, per quos Apostolica dogmata ad nos usque transmissa profluxere. Prius tamen, quàm ista aggrediamur, opus est animadversionem præmittere non levis momenti, nè scilicet fraudi nobis sint aliqua eorum dicta; quemadmodum evenit quàm plurimis, qui errore gravissimo, traditionisque sanctitati oppido fatali circumventi existimârunt, antiquos Patres Semipelagianismo fuisse aspersos. Igitur cum in ipsis legimus, principium boni esse à nobis; Deum expectare nostram voluntatem; ad nos pertinere, velle primum bonum, & eligere, atque alia hujus generis: non oportet sibi quendam persuaderi, prævenientem gratiam ab illis hæc formâ loquendi excludi. Intellegunt quippe de principio, ac non de primo: intelligunt de eo, quod primum ab homine unâ cum Deo in homine factum est; non de eo, quod à solo prius Deo factum est in homine. Loquuntur in hunc modum, ut doceant, voluntatem non esse principium meri passivum; sed tacitè supponunt, tanquam rem aliunde notam, quòd uti velle quoad substantiam sit à Deo, ita & posse. In summâ, explicant hoc modo primam conversionem ad Deum, quam facit voluntas; sed non idcirco negant illam gratiam, quæ hanc excitationem, motumque impressit, & facultatem hanc contulit. Opus nil erat tum temporis hanc exprimere, quia nondum fuerat impugnata, neque ullâ de eadem audita disceptatio. Elucet indubitatè hæc veritas ex eo, quòd illi ipsi innuant, aliisque in locis celebrent gratiam primam; quòdque ingeminant, omne bonum esse à Deo, atque ab eo habere nos omnia. Liqueat id ex illorum etiam locorum serie, quos hic attexuimus. At clariùs multò sub oculos cader libro decimo, ubi dedita id operâ discutimus.

CREDITUR vulgò ejusmodi expressiones à græcis duntaxat Patribus fuisse usurpatas, cum tamen & in latinis easdem perspecturi simus. Debet proinde prudens lector hæc ex parte suam tantisper judicium suspendere, siquando in libro hoc, & duobus subsequenteribus, ob quædam efata suo in animo oboriretur ejusmodi

suspicio. Numquam fortassis istarum formularum aliquas adhibitori fuissent antiqui Patres, posteaquam Semipelagianii gratiam prævenientem impugnantes, suspēctas illas reddidēre, atque ambiguas, hæreticam ipsis ideam affricando. Tuto tamen usurpare eas poterant, quando ob suppositam tacitè ab omnibus id genus gratiam majori nondum opus erat cautelâ.

2. ANTE ceteros sese offert S. Martyr S. Justinus.

Justinus, modico ab Apostolorum temporibus disjunctus intervallo. Marcion, & Valentinus hæretici multos modò affeclas numerabant, quapropter postulabat necessitas, ut dedita quis operâ eosdem confutaret. Apologia Antonino Pio Imperatori à S. Justino inscripta appellata ab Eusebio fuit Liber contra Marcionem.² Recensitis in eâ quibusdam vaticiniis tantò post impletis, ita disserit: Sed nè ob ea, quæ diximus, nonnulli existiment, quæ eveniunt, eâ fati necessitate evenire, quasi prædefinita ex eo, quòd fuerint prænunciata, & hoc quoque diluamus. Discimus ex Prophetis, & verum esse profitemur, punitiones & supplicia perinde, ac benignas remunerationes obvenire cuivis secundum operum suorum merita; siquidem si ita non esset, sed fati omnia virtute evenirent, nullum prorsus superest arbitrium. Si que fatale est, quòd hoc sit malum, & illud bonum, neque hoc laudem, neque aliud reprehensionem merebitur. Si item genus humanum facultatem non habet malum cum liberâ electione fugiendi, bonumque amplectendi, non illi vertitur vitio, quidquid demum operatum fuerit. Quòd autem verè, cum liberâ electione, & bonum operetur, & malum, ita demonstramus. Eundem videmus hominem à contrario uno progredi ad aliud. Si autem esse bonum, aut malum, proveniret à fato, non posset utrumque amplecti contrarium, neque toties mutare sententiam. Non condidit quippe Deus hominem, cæterarum instar rerum, puta arborum, & quadrupedum, quæ facultatem non habent operandi cum electione; siquidem nec premio dignus esset, nec laude, si bonum non ipse eligeret, si dedit foret à natura comparatus. Neque justè castigaretur, quòd perversus sit, si talem se ipse non redderet, sed tali cum indole generatus esset, ut aliis esse non posset. Citat deinde S. Justinus plura loca Scripturæ ad evincendam libertatem arbitrii; atque inter cetera dictum illud Isaia: ³ Ecce ante te bonum, & malum: elige bonum; & aliud Domini nostri: Si volueritis, & mihi obediveritis, gustabitis

(1) Athen. Apol. pro Chr. εἰ μὴ ἐπ' αὐτοῖς ἢ ἡ κακία, καὶ ἡ ἀρετή. (2) Euseb. Hist. eccl. lib. 4. cap. 11. (3) S. Just. Apol. 2. p. 80. ed. Par. an. 1636. ὅπως δὲ μὴ τινὲς ἐν τῶν &c. ... Καὶ αὐτὸ ἐν μὴ προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεῦγεν τὰ ἀρχαῖα, καὶ ἀρκεῖν τὰ κακά, δύναμιν ἔχει τὸ ἀνδραγαθῶν γένος, ἀντὶ τὸν ὅτι τῶν ὁπῶν δημοτὶ προτίθεται. Ἀλλ' ἐπὶ ἐλευθέρᾳ προαιρέσει καὶ κατὰ θεοῦ, καὶ σφαιλλεῖται, ὅπως ἀποδοικόμεν &c. (4) ibid. εἰς τὴν ἢ ἀξίως ἀμειβῆς, ἢ ἐπαινεῖ, ἐκ αὐτῶν ἰδόμενος τὸ ἀγαθόν &c. (5) ibid. ὅσα πρὸς προσώπων τὸ ἀγαθόν, καὶ τὸ κακόν ἐκλεγεῖται τὸ ἀγαθόν.

bona terra; sed si nolueritis, devorabit vos gladius. Addidit etiam, Platonem, cum dixit, culpam illius esse, qui eligit, Deum in ejus partem non venire, fuisse hanc doctrinam à Mose mutuatum.

3. IN Quæst. orthod. cum de prævisâ Judæ traditione agebat, ita docuit: ¹ Præscientia non est rerum futurarum causa, sed quod futurum est, causa est præscientiæ. Non enim ex præscientiâ consequuntur futura; sed ex futuris præscientia. Neque ullâ ratione causat futura, qui ea prævidet. In his Responsionibus: ² Non solum ut simus, ut cognoscamus, & operemur bonum, potestatem nobis dedit Deus, sed & liberum nobis donavit arbitrium; dominosque nos constituit eligendi pro libitu, quæ placent, ex iis, quæ cognovimus. Atque quod boni simus, aut mali, id non in rerum agnitarum notitiâ, sed in electarum posuit defectu. Inquiritur quæstione sequente ³: Si tantum largiatur Deus, quo modo igitur postea hominem coronet, aut puniat? Respondetur: coronari nos, aut puniri ob ea duntaxat, ad quæ se liberum arbitrium extendit: cujusmodi est esse castum, aut impudicum; quandoquidem adepti à Deo sumus faciendi, & non faciendi potestatem; elevati, & corroborati per ejus auxilium, cum de bono agitur faciundo.

IN dialogo cum Tryphone, postquam ostenderat, homines non Divinæ præscientiæ vitio, sed suo malos esse: Dicam paucis, inquit: ⁴ Cum voluisset Deus, & homines & Angelos suam facere voluntatem, voluit condere illos cum facultate justè operandi; rationis insuper compotes, ut intelligerent, à quo producti, suamque existentiam fuissent consecuti, eaque simul conditione, ut à se judicarentur, cum contra rectam rationem operarentur. Ità quidem, ut si resipuerint, ⁵ misericordiæ omnes participes fieri possint, qui volunt.

S. Irenæus. II. PROXIMUS à Justino est S. Irenæus, magnum illud Franciæ lumen, qui paucis annis ipso posterior vixit; fuitque appellatus ab Epiphanio Successor Apostolorum. Libri ejus contra hæreses inter pretiosissima monumenta sunt, quæ habeat Ecclesia. Libro quarto disputat in hunc modum: ⁶ Homo verè rationalis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. In utriusque partem venit liberum arbitrium.

Declarat porro: ⁷ Idquod erat liberum, & suæ potestatis in homine, semper servasse Deum. Et supra: Illud autem, quod ait: Quoties volui colligere filios tuos, & noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestavit; quia liberum eum fecit Deus ab initio habentem suam potestatem, sicut & suam animam; ad utendum Sententiâ Dei voluntariè, & non coactum à Deo. ⁸ Pergit representare Vir sanctus, quo pacto Deus posuerit in homine potestatem electionis; & quod idcirco jure judicium subituri sint illi, qui viâ meliore desertâ, benignitate atque æquanimitate Divinâ uli non fuerunt ad peccata sua expianda. Subdit: Qui operantur quidem illud, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem, qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud.

2. PERGIT hîc dicere, si alii boni essent naturâ, alii mali, non fore laudi aut vituperio locum: Sed quoniam omnes sunt ejusdem naturæ, & potentes retinere, & operari bonum, & potentes rursus remittere id, & non facere, ... apud Deum, & homines dignum recipiunt testimonium electionis bonæ, & perseverantiæ, & si secus fecerint, supplicium. Addit, inde nasci consilia & cohortationes ad bonum, quæ habentur in Scripturâ. Si enim non in nobis esset hæc facere, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multò prius ipse Dominus consilium dare, quædam quidem facere, à quibusdam verò abstinere? Sed quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus, cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est ad Deum, obedientia. Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium hominis servavit Dominus dicens: Secundum fidem tuam fiat tibi; propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam. Et iterum: Omnia possidilia sunt credenti. Et vade; sicut credidisti, fiat tibi. Omnia talia suæ potestatis secundum fidem ostendunt hominem. Et propter hoc is, qui credit ei, habet vitam æternam; qui autem non credit filio, non habet vitam æternam, sed ira Dei manebit super ipsum. Secundum hanc igitur rationem, & suum propositum bonum ostendens Deus, & sui arbitrii, ac suæ potestatis

(1) Quæst. orth. p. 425. ἐκ τῆς ἡ προγνώσεως ἀντὶ τῶ μέλλοντος ἰσχυροῦς, ἀλλὰ τὸ μέλλον ἰσχυρὸν αὐτῶν τῆς προγνώσεως. ἡ γὰρ τῆ προγνώσεως ἐπέκειντο τὸ μέλλον, ἀλλὰ τὸ μέλλον τῆ προγνώσεως. καὶ ἡ ἀδελφὴ ὁ προγνώσκων αὐτὸς ἐστὶ τὸ μέλλοντος ἰσχυροῦς. (2) pag. 396. ἡ μοῖρα τῶ εἶναι, καὶ τὸ γινώσκον τε καὶ περὶ τὸ καλὸν τε, καὶ κακὸν δεδωκεν ἡμῖν τὴν δύναμιν ὁ Θεός, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀνταρξέμεν ἡμῖν ἐχαριστάτο, καὶ τὸ κατὰ προσημασμένον αἰρεῖσθαι τῶν γινωσκόμενων τὸ δοῦν κατὰ τὴν ἡμῶν κρείττους. καὶ τὸ ἀγαθὸς ἡμῶς εἶναι ἡ κακὸς ἀκ ἐν τῇ γνώσει ἔδωκε τῶν γινωσκόμενων, ἀλλὰ ἐν τῇ αἰρέσει τῶν αἰρετικῶν. (3) Quæst. 9. ἐφ' ἡμῖν δὲ τὸ εἶναι ἀσφραγῆς ἡ πόρνης σφραγισμένη ἐστὶ, ἡ κολληθὲν μετὰ διὰ τὸ ἐφ' ἡμῖν &c. (4) pag. 370. οἱ βυλομνηστές, λογίλους καὶ τὰς ἀνθρώπων ὑποδοχὴν τῇ βελῇ αὐτῶ ὁ Θεός, ἐβελήθη ποιῆσαι τῶν ἀντιθέτων πρὸς δικαιοπραγίαν &c. (5) πάντες βυλομνηστές τυχόν τῷ πατρὶ τῷ Θεῷ ἰδέσθαι, δύνασθαι. (6) S. Iren. l. 4. c. 4. (7) c. 15. (8) c. 37.

hominem significans, dicebat ad Jerusalem: Quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti? Porro postquam demonstravit, nos DEI opus esse, repetit denuò hic sanctus Pater: Si igitur¹ tradideris ei, quod est tuum, idest fidem in eum, & subjectionem, recipies ejus artem, & eris perfectum opus Dei. Si autem non tradideris, & fugeris manus ejus, erit causa imperfectionis in te, qui non obedisti, non in illo, qui vocavit. Docet ulterius, non sufficere fidem, sed requiri opera, laborem, & conatum nostrum.² Quemadmodum oleaster insertus, si permanferit in eo, quod ante fuerit oleaster, exciditur, & in ignem mittitur; ³ si autem ramus insertus permanferit, & mutetur, evadit oleaster fructiferus: sic & homines siquidem (per fidem) profecerint in melius, & assumpserint Spiritum Dei, suumque fructum produxerint, spirituales evadent, quasi plantati in Paradiso Coelesti; si autem respuerint Spiritum, & perseveraverint in eo, quod fuerunt ante, magis carnis esse volentes, quam spiritus, iustissime illis dicitur, quod caro, & sanguis non possideant regnum Dei.

3. PRAETERMITTENDUM non est, ubi ejus temporis haereticos retundit, qui Deum faciebant authorem mali, adducen-tes ea, quae extant de induratione Pharaonis; quibus ipse adjungit illud Salvatoris: loqui nimirum se in parabolis, ut non intelligerent; aliaque plura hujus generis. Quibus praemissis adfirmat, primo eam Deo in non credentium occaecatione partem deberi, quae soli in caligine non videntium. Respondet deinde, plenam intellectus collustrationem impertiri ipsum iis, qui credunt, eumque sequuntur. Et quemadmodum & nunc,⁴ quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium praecognitor, tradit eos infidelitati eorum, & avertit faciem suam ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt; quid miramur, si & tunc nunquam crediturum Pharaonem, cum iis, qui cum eo erant, tradidit suae infidelitati? Dicit porro: ⁵ Deus autem omnia praesciens utrisque aptas praeparavit habitationes; & cap. sequente: ⁶ Regnum praeparavit justus Pater. Declarat sensum exclamationis illius Paulinae: O altitudo! dicendo, quod hujus intelligentia, ⁷ majorve vel minor cognitio consistat praecipue in consideratione, quomodo voluerit Deus etiam Gentiles facere coheredes, & in Sanctorum, hoc est fidelium, communionem venire; quomodo dicturus sit populum, qui populus non

erat, & dilectum, qui dilectus non erat; quandoquidem ob haec, & his similia exclamavit Apostolus: O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viae ejus!

4. ATTINGIT etiam saepius peccatum originale. Libro tertio scribit de Eva: ⁸ Quod, sicut illa inobediens facta, & sibi, & universo generi humano causa facta est mortis, sic & Maria obediens, & sibi, & universo generi humano causa facta sit salutis. De Christo ait: Ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Et loquens de incarnatione, habet, quomodo facta fuerit nova haec generatio, ut, ⁹ quemadmodum per priorem generationem mortem hereditavimus, sic per generationem hanc hereditavimus vitam.

5. Nec silentio praeterit Divinam gratiam. Libro secundo c. 27. ait: Unde Dominus pollicetur esse mittere se Paracletum, qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quae de Caelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic & nos aridum lignum existentes primum nunquam fructificavimus vitam sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animae autem per Spiritum. Dicit alibi de Servatore: ¹⁰ Omnes venit per semetipsum salvare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores. Advertit l. 4. c. 11. quomodo idem Deus posterioribus majorem, quam quae fuit in veteri Testamento, munerationem gratiae attribuat. Dicit porro: ¹¹ Quemadmodum majorem dedit gratiam per suum advenum his, qui crediderunt ei, & faciunt ejus voluntatem; sic & majorem in iudicio habere penam eos, qui non crediderunt ei, significavit; justus existens super omnes aequaliter, & quibus plus dedit, plus ab eis exacturus; plus autem, non quod alterius partis agnitionem ostendit, sed quia majorem donationem paternae gratiae per suam adventum effudit in humanum genus.

IV. THEOPHILUS, Dionysius, unus Antiochiae, alter Corinthi Episcopus, item S. Hippolytus, Sti Irenaei discipulus, & ita porro plures, quorum opera interciderunt, contra Marcionem strinxere stylum. Atque hoc ipsum sufficit, ad faciendam de eorum doctrina conjecturam. Multae tamen lucubrationes, eaque doctissimae Cle-

Clementi A. Alexandrino

(1) c. 39. (2) lib. 5. c. 10. (3) Matth. VII. 19. (4) lib. 4. c. 29. (5) l. 4. c. 39. (6) c. 40. (7) lib. 1. c. 10. n. 3. τὸ δὲ πλεον ἢ ἐλαττον κατὰ σύνεσιν εἶδέναι &c. πῶς δὲ ἐπεὶ ὁ ὁ λαὸς λαὸς, καὶ ἐν ὁμοθυμαδὸν. Ol. II. 24. Rom. IX. 25. ἐπὶ τῶν γὰρ καὶ ἐπὶ τῶν ὁμοίων αὐτοῖς ἐπιβέβηται ὁ ἀποστόλος; ὁ πατὴρ πάντων &c. (8) cap. 22. (9) l. 5. c. 1. (10) l. 2. c. 22. (11) c. 35.

mentis Alexandrini ab injuriâ temporum fuerunt vindicatæ. Libro primo Stromatum hanc habet sententiam : ¹ Vocatis itaque omnibus hominibus vocati propriè fuerunt illi, qui voluerunt obedire. In altero, inter varias fidei definitiones, vocavit eam primo loco *judicium prævium voluntarium*, ² vel voluntariam præceptionem, dixitque, cum ab electione liberâ principium actionis proveniat, fidem quoque in eodem principio inveniri.

2. REPREHENDIT Basilidianos, qui fidem opinabantur esse naturalem ; ³ & Valentinianos, qui se jactabant salvos esse naturâ, differitque in hæc verba : Non igitur ⁴ electionis meritum est fides, si dos est naturæ; neque justum obtinebit præmium incredulus, quippe qui culpam non habet, nec credulus, quippe qui ejus causa non est. Atque ita, si recte rem expendimus, nec laudi nec reprehensioni subjacere potest quæcunque differentia fidei, & incredulitatis, si nobis observatur physica necessitas procedens ab eo, qui potest omnia. Et mox : Deus illorum, quantum ego quidem conjicio, invenitur esse facta ipsis naturarum distributio, quæ fidem voluntariam pro salutis fundamento non habet. Nos verò, qui ex Scripturis accepimus, concessam à Domino esse hominibus absolutam ⁵ eligendi, fugiendique potestatem, acquiescamus fidei cum firmâ determinatione. Habetur eodem libro : ⁶ Non veri vitio, quæ ab electione non pendent; Verbumque æternum vocasse omnes, etiam illos, quos cognovit non obedituros; idque eo consilio, ut cum obedire in nostrâ sit potestate, nemo ignorantia obtemperare excusationem possit.

3. LIBRO quinto dum affirmat, Deum mali authorem non esse, citat locum Platonis ex decimo de Republ. relatum etiam à S. Justino : Culpæ est eligentis, Deus ⁷ non est in vitio. Eodem libro : ⁸ Nunquam sine singulari gratia volat & conjungit anima, & super res etiam sublimes extollitur. Subinde adducit, docere etiam ⁹ Platonem in Menone : à Deo datam esse virtutem; atque ex eo promit sequentia : Ex hac disputatione apparet, o Menon! Divinâ facultate virtutem ei propinquare, cui propinquas : & numquid videtur tibi per Divinam facultatem indigitari cognitio, quæ omnia complectitur? Et

concludit : Nos in totâ hac disputatione optime investigavimus, doceri virtutem non posse, at sorte Divinâ concedi posse, cui conceditur. Pergit Clemens : Sapientia itaque concessa à Deo, quæ est virtus Patris, liberum arbitrium nostrum incitat, fidemque amplectitur. Subdit illam, quæ homini sorte cælesti obtingit, à Pythagora vocari mentem; docere tamen Christianos, Spiritum Sanctum inspirari illi, qui credidit. Sub sexti libri finem docet, omne bonum à Patre concedi per Filium, qui proinde appellatur teste Apostolo Salvator omnium, maxime autem fidei. ¹⁰

4. EXPONENS porro scientiam, quæ hoc nomine intelligitur, ejus consequendæ difficultatem, & medium, in quod ibidem inquiritur, Illi, inquit, qui Deum eligunt Magistrum, facile ad ejus notitiam pertinent, ejus gratiâ nimirum ad tantam ipsos cognitionem juvante. ¹¹ Docet deinde eodem loco, ¹² plus aliquid esse fiduciam, quàm fidem, quia cum quis scit, hunc esse Filium Dei, veram esse credit suam doctrinam, unde per fiduciam incrementum capit fides. Notari speciatim meretur, quando explicat, quo pacto fides, tametsi sit spontaneus animæ assensus, simul tamen bonorum operum sit effectrix, justarumque operationum basis. ¹³ Neque hoc prætermitti effatum convenit : Neque enim sine voluntatis electione consequi possibile est; neque omnia à nostrâ pendent voluntate. Sumus enim salvari per gratiam, at non sine bonis operibus. ¹⁴ Et sequitur : Sanam oportet habere voluntatem, nec tædii capacem in indagando bono. Quamobrem opus habemus præcipue Divinâ gratiâ, rectâ doctrinâ, purâ dispositione, & Patre, qui nos ad se trahat. ¹⁵

5. LIBRO septimo docet, conveniens esse, ut omnium curam habeat Deus, cum sit Dominus omnium, nec Salvator unus, non item alterius. Beneficentiam suam divisit pro cuiusque capacitate inter græcos, inter barbaros, inter prædestinatos ex ipsis, & vocatos suo tempore fideles, & electos. ¹⁶ Ex hujus Authoris mente Philosophia gentilis non erat inutilis ad animos ritè disponendos: Deus, ait ille, homini cooperanti omnes ad virtutem concessit dispositiones, quæ non impediunt, quominus arbitrium sit voluntarium. Loquitur de iis, qui non agnoverunt inamani-

(1) l. i. c. 18. πάντων τοῖνυν ἀνθρώπων κεκλημέναν, ἡ δὲ ὑπακούουσα βουλὴ δὲ κατὰ ἀποκατάστασιν.
(2) l. 2. c. 2. πρὸς τὴν ἐκείνου... ἐπεὶ δὲ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἡ προαίρεσις, πῶς ἐκείνου. (3) φυσικὴν ἡ φύσιν τῆς πίστεως οἱ ἀμφὶ τοῖς βασιλείοις. (4) cap. 3. ἐκείνῃ δὲ προαίρεσιν κατὰ δόξαν ἡ πίστις, εἰ φυσικὴ πλεονέκτημα. ἔδδ' αὐτοῖς δικαίως τεύχεται ἀνάγκη ὡς οὐ μὴ πιστεύουσας, καὶ ἐκ αὐτῆς οὐ πιστεύουσας. (5) ἔχοντα τὴν ἐκ τῶν πάντων δυνατὴν φυσικὴν ἀνάγκην γινώσκοντες. ἡμεῖς δὲ οἱ ἐκ τῆς αἰρέσεως καὶ φύσεως διδόντες τοῖς ἀνθρώποις αὐτοκατατοκίαν παρὰ τὴν Κορίνθ. διὰ τῶν γενομένων παρελθόντες &c. (6) lib. i. c. 14. ἡ λογιστικὴ δὲ οὐκ ἔστι κατὰ προαίρεσιν συνίσταται &c. (7) αἰτία ἐλπίδος, Θεὸς ἀνάγκη. (8) lib. 5. c. 13. πλὴν ἡ χάρις ἀντὶ τῆς ἐκείνου πλεονεκτητικῆς καὶ ἀνίσταται, καὶ ἀντὶ τῆς ὑπερκαμίνου ἀνίσταται ἡ ψυχὴ. (9) Θεοδότην τῆν ἀρετὴν. Οὕτω ἡμῖν φανίσταται μοῖρα παραγινώσκουσα ἡ ἀρετὴ, οἷς παραγινώσκου. (10) lib. 6. c. 17. οἱ καὶ διὰ τὸτο σωτὴς πάντων ἀνθρώπων, Θεοῦ δ' Ἀποστόλου, μάλιστα δὲ πιστῶν. (11) c. 18. Οὕτω τῆς χάριτος αὐτοῦ συλλαμβανόμενος εἰς πόσῃ ἐπίγνωσιν. (12) πλεῖστοι ἐκ τῆς πίστεως τοῦ πεποιθέντος. (13) ὅσα δὲ ἡ πίστις ἡ καὶ ἐκείνου τῆς ψυχῆς συγκατάδοσις, ἀλλὰ ἐργατικὴ ἀγάπη, καὶ δικαιοσύνη, &c. (14) lib. 5. c. 1. ὅτε γὰρ αὐτὴν προαίρεσιν τυχὴν εἰσὶν, ἡ μὲν δὲ τὸ πᾶν ἐπὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἡμετέρᾳ κίεται· χάρις γὰρ σωζόμενα, ἐκ αὐτῶν μέντοι τῶν καλῶν ἔργων. In impressis insertum reperitur: οἱ τοῦ ἀπεβοσκόμενοι; verbo intrusa, & redundantia. (15) καὶ τῶν τῶν καλῶν πρὸς αὐτοὺς ἀλλήλους. (16) lib. 7. c. 2. καὶ τῶν τῶν συμπαθῶν, ὅτι καὶ καὶ τῶν τῶν καλῶν πρὸς αὐτοὺς ἀλλήλους. (17) lib. 7. c. 2. καὶ τῶν τῶν συμπαθῶν, ὅτι καὶ καὶ τῶν τῶν καλῶν πρὸς αὐτοὺς ἀλλήλους.

ma¹ humanā potestatem electionis, quae nulli in vitæ deligendo instituto subiaceat. Monet, misericordiam obtinere eum, qui potest; & posse, qui vult. ² Observat, quod qui salvatur, non salvandus sit necessariò, cum non sit res inanimata; sed de consequendā salutē laborabit sponte omnino, & propriā motus electione. Hinc accepit homo praecepta, quemadmodum ille, qui ipse se impellere potest, ad utrumlibet voluerit; ad id, quod eligi, aut quod vitari oportet. Non igitur Deus necessitate nos bonos facit, sed bene facit secundum eorum electionem, qui suā se voluntate convertunt. ³ Adfert etiam hoc simile: Quemadmodum medicus sanitatem impertitur us, qui ad eam recuperandam unā cum ipso operam conferunt; ita Deus aeternam illis concedit salutem, qui unā cum ipso adhibent diligentiam, ut collustrentur, recteque operentur. Operando (cum in nostrā sit potestate, quidquid leges imponunt) adimpletur promissio. Et postea: Exiguntur a nobis, quae dependent a nobis. Extat hoc in libro familiare illud antiquis Patribus effatum: quod ad communem hominum salutem venerit Servator. ⁴

6. In Pædagogo abunde loquitur de gratiā obveniente per baptismum. Ad imitationem Salvatoris, quando id acceperat, ait: Baptizati illuminamur; illuminati adoptamur, adoptati perfectionem consequimur, hanc consequuti reddimur immortales. ⁵ In Tractatu de Potestate, quam habent divites consequendi salutem, in illa Salvatoris verba: Si vis esse perfectus; ait: ostendere hoc loco ipsum liberam arbitrii facultatem; cum in liberā hominis potestate sit eligere, ⁶ dare autem penes Deum sit, tanquam Dominum. Dat itaque volentibus, dat quoque rogantibus, ut hāc ratione salus fiat eorum propria: siquidem Deus vim non infert, quippe a quā alienus est; sed concedit postulanti, & aperit pulsanti. Si igitur vis, sed si serio vis, neque te ipsum fallis, pete, quo opus habes. Etcum docet, Deo possibile, quod homini impossibile est, repetit, quod qui verè & vehementer desiderabit, suāque operam conferet, Divinā adiutus ope voti compos futurus sit, quia Deus opem fert volentibus. At si refrixerit, etiam Divinus se Spiritus subducet; cum regnum Caelorum non sit dormientium, neque eorum, qui obtorpescunt in delictis, sed violentorum, qui illud rapiunt, ut est apud Matthæum. Deo nimirum hujus-

modi violentiam amante, atque istā ratione vinci cupiente. Inferius repræsentat, quā grandis sit Dei erga nos amor, & quomodo Servator animam suam omnibus ceteris pretiosorem posuerit pro unoquoque nostrum, ⁷ quantumque desideret, ut peccator ad frugem redeat, & quomodo dixerit: nolle se mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Vin' igitur salvus esse? ait S. Clemens: si fur es, omitte usurpare aliena; si adulter, dimitte conjugem alienam; atque itā deinceps de ceteris vitiis. Est fortasse impossibile uno impetu venire nuncium pravis affectionibus, quae nobiscum adoleverunt; at Divinā virtute, humanā precatōne, fratrum ope, sincerā penitentia, curaque assidua ea corriguntur.

V. SECUNDO & tercio saeculo floruit Tertullianus, qui itā loquitur contra Marcionem: ⁹ Libervm, & sui arbitriū, & suae potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo advertens, quā ejusmodi status formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis tam variis in genere humano ad uniformem Deum expressus est; sed in eā substantiā, quā ab ipso Deo traxit, i. l. est animae ad formam Dei respondentis, & arbitriū si libertate, & potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex tunc a Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in suā potestate; nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitriū libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus Creatoris invenias proponentis ante hominem bonum & malum, vitium & mortem: sed nec aliā totum ordinem disciplinae per praecepta dispositum, advocante Deo, & minante, & exhortante, nisi ad obsequium, & ad contemptum libet, & voluntario homine.

2. PERGIT demonstrare, quomodo sui arbitrii debuerit esse homo, licet id ei futurum esset perniciosum. ¹⁰ Utergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum fili a Deo, & fieret proprietas jam boni in homine, & quodammodo natura de institutione adscripta est illi quasi libripens emancipari a Deo boni libertas, & potestas arbitrii, quae efficeret, bonum ut proprium jam sponte praeferat ab homine; quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercenda ex libertate. Tota ergo libertas arbitrii in utramque par-

(1) ὅσοι δ' ἐκ καθαρμάκων τὸ αὐθαίρετον τῆς ἀνθρώπινης ψυχῆς, καὶ ἀδελφῶν πρὸς ἐκλογὴν βίῃ. (2) ἐκείνῳ δὲ ὁ δυνάμει, καὶ ὁ βουλῇ ἐστὶν. (3) ὡς ἂν ἐξ αὐτῆς ὁμοιωθεὶς πρὸς ὁπόσον αὐτὸν καὶ βέλτερόν τινι αἰρετῶν καὶ τῶν τε φευκτῶν ἔπειτα ὁ Θεὸς ἀδελφὴν ἀγαθότητα, κατὰ προαίρεσιν αὐτοῦ ἐκλογῆς ἐκείνου ἐπιστρέφῃ. (4) ἐπὶ τῇ κοινῇ ἀνθρώπων ἐκλογῇ σαφηνεῖται. (5) Pædag. lib. 1. c. 6. βαπτίζονται φωτίζονται &c. (6) n. 10. ἐπὶ τῇ ἀνθρώπων γὰρ ἢ ἁρεσίᾳ, ὡς ἐλευθέρῳ, ἐπὶ Θεῷ δὲ ἡ δόσις ὡς Κυρίῳ. δίδωσι δὲ βουλομένοις, καὶ ὑπεροπιδανδοῖ, καὶ δεξινοῖς ἢ ὅπως ἴδωσι αὐτῶν ἡ σαφηνεῖται γινέται &c. . . . ἡ δέξις ἐν, ἡ ὁλως δέξις, καὶ μὴ αὐτὸν ἐξυπατάς, ἀλλ' ὡς τὴν ἐκείνου. (7) n. 27. ὅτι καὶ ἐκείνῳ καθ' ἑαυτὴν τὴν ψυχὴν τὴν ἀνθρώπου τῶν ὁλων. (8) ἐπὶ μὲν ἐν ἀδελφῶν ὡς ἀδελφῶν ἀποκόψῃ πᾶσιν συνέστα, ἀλλὰ μετὰ τὸ Θεὸν δυνάμει, καὶ ἀνθρώπων ἡλικίας, καὶ ἀδελφῶν δουλείας, καὶ ἡλικίας μετανοίας, καὶ συνέχῃ μελέτης κατεργάζεται. (9) 1. 2. c. 5. (10) ib. c. 6.

tem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret & bono sponte servando, & malo sponte vitando: quoniam & aliis positum hominem sub iudicio Dei oportebat iustum illum efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet.

3. IN exhortatione ad Castitatem, c. 2. ita disserit: Non est bonae, & solidae fidei, sic omnia ad voluntatem Dei referre, & ita adulteri sibi unumquemque, dicendo, nihil fieri sine nutu eius, ut non intelligamus, esse aliquid in nobis ipsis. Ceterum excusabitur omne delictum, si contenderimus, nihil fieri in nobis sine Dei voluntate; & ibi definitio ista in destructionem totius disciplinae. Retundit hic eos, qui Deum faciebant autorem mali; paucisque interjectis ait: Itaque cum utrumque ex praeceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit; tamen nobis est voluntas, & arbitrium eligendi alterum, sicut scriptum est: Ecce posui ante te bonum & malum. De Poenitentia agens asseruit: Vanissimum¹ est dicere: volui, nec tamen feci. Atqui perficere debes, quia vis; aut nec velle, quia nec perficis. Notavit itidem: neminem volentem sibi adhaerere repulit Salvator, quicumque deum esset. Divinam gratiam dilaudavit, cum dixit: ² Nam & Dei erimus, si meminerimus illi esse, de quibus praedicavit: Ego dixi, vos Di estis... sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate, quia ipse est solus, qui Deos faciat, hoc est, qui inter filios suos cooptet. Et scribens de anima: Etiam saxa sicut filii Abraham, si se ad fidem Abrahae conformaverint, & genimina viperarum dabunt fructus poenitentiae, si malignitatis venenum exspuerint. Haec erit³ vis Divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem.

4. NOTARI meretur formula publici iuris facta à Tollio in specimine Hodepovici Italici, quo pronunciare jubebantur Manichaei errores suos ejurantes: ⁴ Anathematizo eos, qui liberum tollunt arbitrium, & qui dicunt, non esse in nostra potestate, ut sumus boni & mali.

VI. VENIAMUS ad Origenem. Non habemus autorem ullum, cui tantum datum fuerit vitio, & tantum laudi. Scriptores insignes, & sancti integra conscripsere volumina, alii ut reum agerent, alii ut à criminibus purgarent objectis. Neque iri potest inficias, fuisse ipsum hominem doctissimum, summique ingenii; lucubrationesque ejusdem quamplurimas Ecclesiae utilissimas fuisse. Negari quoque non potest, in graves ipsum, funestósque errores à praeservido suo, profanisque Philosophiis imbuto ingenio, nimiaque item

scribendi prurigne se passum fuisse adduci. Atque ut errores ejus omittamus, nemo est, quem fugiat, quanta ex ipso ad commentandos sacros Codices prompserint antiqui omnes, quot item ex ejus Tractatibus imitati, interpretatique fuerint Hilarius, Ambrosius, Victorinus, Hieronymus, alique multi. Vincentius Lirinensis in Commonitorio suo dixit de Origene & Tertulliano: Sicut ille apud Graecos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Scripsit Hieronymus, ⁵ quod Origenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicerit. Appellavit usque adeo eundem post Apostolos Ecclesiarum magistrum; ⁶ debere tamen id intelligi de sana doctrina à blasphemis segregata, serio postmodum adnotavit in Epistolis ad Pammachium. Falsus etiam⁷ alio loco fuit: Origenis se eruditionem & studium Scripturarum, antequam ejus haeresim plenius nossit, in juvenili aetate laudasse. Declaravit tamen in dicta Epistola, & alibi haeresim, & blasphemias, quae circa Trinitatem, resurrectionem, substantiam animae, ejus dejectionem de Caelo, restitutionemque in statum pristinum elapso certo damnationis tempore versabantur; at nunquam circa gratiam, praedestinationem, & arbitrium. Sunt complures in opinione, primum haeresis Pelagianae autorem extitisse Origenem; sed re vera non expeditum satis est, an vera, atque sufficientia hanc in rem momenta adferri possint. Attingemus ista alio in loco. Porro utcumque se res habeat, nullas impraesentiarum referemus sententias, nisi quas ex Philocalia hausimus; eas nempe, quas ex Origenis Operibus Basilii M. & Gregorius, cognomento Theologus, congestere. Quo planum fit, habuisse ipsos ea non modo pro orthodoxis, sed etiam digna censuisse, quae à ceteris segregata Christianis proponerentur ut dogmata. Elucet id ipsum ex praefixo ab ipsis huic suae collectioni Philocaliae titulo, qui idem sonat, quod amor, aut delectus rerum pulchrarum. Contextuere illi hanc Polyantheam communicatis consiliis tanquam amici inter se conjunctissimi, laborumque literariorum focii. Scopus ipsorum erat congerere ex variis Authoris hujus Codicibus, atque in unum cogere ea, quae ad S. Scripturam intelligentiam pertinent in difficilioribus, & subobscuris.

2. CAPITE vigesimo collegerunt solutionem, & declarationem locorum Scripturae, quae libero videntur adversari arbitrio. Refertur ibidem fasce totum quasi caput pri-

Origenes.

(1) cap. 3. m. 4. (2) adv. Herm. c. 5. (3) de Anim. c. 21. (4) Tollio ne' Saggi dell' Itinerario Italico. (5) S. Hier. Epist. in nov. edit. Ver. 84. (6) Prol. in Nom. Hebr. (7) Apol. 3. adv. Rufin. Ignosce mihi, quod Origenis eruditionem sic.

num tertii libri Principiorum : Perstrin-
git in illo eos Origenes, qui conabantur
depravare ideam liberi arbitrii. Afferit, gra-
tis illos accusare constitutionem corporis,
cūm adhibito conatu, & disciplinā ita in-
terdum transmutari videamus homines in-
temperantes, ac feroces, ut multo saepe,
quā ceteri, evadant meliores. Adverti-
mus etiam ē contrario, homines optimos
atque honestissimos in juventute, mediā-
que aetate deviare, atque in intemperans
ac flagitiosum vitæ genus prolabi. ¹ Quod
autem vita bona nostrum opus sit, illamque à
nobis Deus exigat, non tanquam opus suum,
(intellige solummodò suum : videbimus
enim postea, reprehendi ab ipso errorem
existimantium, proprias sibi esse actiones
donatas à gratiā) neque ab ullo alio provi-
niens, imò ne à fato quidam, id quod nonnulli
credunt; sed tanquam nostrum, docet Prophe-
ta. Profert hic loca ex Deuteronomio, ex
Micheā, Isaia, & regio Psalte, quod ² fue-
rit in potestate populi obedire, & inire vias
Domini. Idem apparere ait, quando impo-
nuntur praecepta, pramiāque proponun-
tur, vel supplicia. Plura etiam adducit lo-
ca ex D. Paulo ad Romanos; initium fa-
ciens ab illo: An divitias bonitatis ejus, &
patientiae, & longanimitatis contemnis? igno-
ras, quoniam benignitas Dei ad penitentiam
te adducit; secundum autem duritiam tuam,
& impenitens cor thesaurizans tibi iram. De-
clarat Origenes, ³ loqui hic nobis Aposto-
lum, tanquam hominibus liberis, sibi que
ipsis causa existentibus vel ruinae, vel salutis.

3. INDE progreditur ad solvendas om-
nes Scripturae difficultates, quas quidem
obmovebant haeretici, ut ostenderent, non
pendere à nobis ullo modo observationem
praeceptorum, & salutem; ⁴ sed salvare
Deum, & damnare, quos velit. Excludit hic
illam Dei voluntatem, quae nostram non
includit. Ad illud, quod induravit Phara-
nem, ex quo agnosci volebant, fuisse ip-
sum naturae de se perditae, ideoque indu-
ratum à Deo, tanquam miserentis spirita-
lium, & terrenos indurantis, ⁵ responderet:
Si terrenus erat, & perditus, quid opus erat
indurari ipsum à Deo? de se erat perditus.
⁶ Si autem haec omnia in ipso expertus
fuit Deus, signum est, quod potuerit obe-
dire. Quid? quod Deus in Pharaonem,
ejusque similes non modò est iustus, quod

fatebantur illi haeretici; sed etiam bonus.
At ⁷ quo pacto iustus & bonus cū sit, in-
durat cor Pharaonis? Certum est, contra
rationem esse, quod quis sensum tribuat
verbis illis, qui aequitati & bonitati repu-
gnet. Quā autem ratione iustus simul sit,
& bonus, ostendit Origenes ex similitudi-
ne allatā ab Apostolo, ut appareat, ⁸ unā
eādemque actione hunc à Deo eligi, alium in-
durari, non tamen quod ipse indurare inten-
dat; sed quod aliis ejus bonitate abuten-
tibus, suā sponte sequatur induratio. Simi-
litudo petita est à pluvii; quae ē Caelo de-
fluit non minus in terram fructiferam,
quā spinarum, ac tribulorum feracem;
cujus rei causā non nascitur à pluvia, quip-
pe quae utrobique una, eadēque est. In-
solens ac paradoxum ⁹ videri possit, eum, qui
pluviam immitit, dicere: Ego in terra hos
fructus procreavi, ego protuli spinas: & ta-
men ita se res habet. Prodigia itaque, quae
patravit Deus, erant pluviae, & voluntas
erat solo culto, & inculto similis. Sic, si
sol loqueretur, ac diceret: ego eodem calore
liquefacio, & exsiccō, respectu luti, & cereae,
verum diceret. Adjungit, cōpisse aliquā ex
parte molliri Pharaonem; igitur non fuisse
planè induratum à Deo. Observatione dig-
num est, ubi ostendit, induratum verè à
Deo fuisse Pharaonem, quia Deo tot ipsi
repulsas condonante, pejor ipse semper
evalit: quare loquitur Scriptura eum fere
in modum, ¹⁰ quo Herus alloquitur ser-
vum, quem suā ipse bonitate, atque in-
dulgentiā perdidit; ideoque dicit: Ego te
malum effeci! ego tot tibi delictorum causa
extitī, quod priora condonārim!

4. SEQUUNTUR loca Isaiae, & Jeremiae:
Quare deviare nos fecisti? quare nos decepi-
sti? Ad quae responderet, idem esse, ac si
diceret: Cur toties nobis condonāsi peccata?
atque ad iniquitatem nos permisisti apicem
venire? Facit autem hoc interdum Deus,
ut nosmet ipsos cognoscamus. Qui enim
propriam imbellicitatem, & gratiam Divi-
nam non agnoscit, licet beneficio ornatus sit;
tamen si se ipsum expertus non est, nec se reum
pronunciavit, existimabit suum esse, quod à
gratiā donatum est; ex qua opinione progigni-
tur superbia, omnium malorum fons, &
origo. Origenes etiam in proemio ad ex-
positionem Psalterii ad bonum illum Reli-
giosum, cui id inscripserat, loquitur in hunc

(1) Cap. 20. ὅτι δι' ἔργον ἡμέτερον τὸ βιάσθαι καλῶς ἐστὶ, καὶ αὐτοὶ ἡμῶς τὸ τοῦ Θεοῦ, ὡς ἐκ αὐτῶν ἐν, ἀλλ' ἐξ ἑτέρου
τίνος παραγινόμενον, ἢ ὡς διονυσίᾳ τίνος ἀπὸ ἐμαυμένων; ἀλλ' ἢ ὡς ἡμέτερον ἔργον, μαρτυρήσει &c. (2) ὡς ἐκ τῆς
λαοῦ οἷος τὸ ἀκκεν καὶ πορευέσθαι &c. (3) ὡς ἀνίστηναι οὐκ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν αὐτοῖς αὐτοῖς τυγχάνουσιν ἀπο-
λαίας, ἢ σωτηρίας. (4) cap. 20. (5) ibid. (6) ibid. (7) ibid. (8) πῶς μὲν ἐνεργεῖ ὁ Θεός, ἐν μὲν ἐλπίδι,
ἐν δὲ σκληρότητι, & προτιθέμενος σκληρύνειν, ἀλλὰ &c. (9) δυσφύσιν αὐτοῦ δοῦναι τὸ λόγιον τοῦ νόμου, ἐν τῷ
καρπῷ ποιεῖν, καὶ τὰς ἀκαθαρσίας &c. (10) πολλὰς τῶν χρηστῶν διαπολῶν φασκόμεναι τὰς διὰ τὴν χρηστότητα, καὶ
τὴν μακροθυμίαν ἐκρίβουμένους οὐκ αἰσθάνονται, ἐν ᾧ οὗτοι αἰτίαι γίνονται τῶν τοιαύτων ἀμαρτιῶν.
(11) ὁ δὲ μὴ ἀποφρονέων τῆς ἰδίας ἀδυνατίας, καὶ τῆς διαιας κακίας, καὶ ἐνεργεῖται μὴ ἐκ τῆς πεπειρημένης,
μὲν ἐν τῇ κατεργασίᾳ, ἀποφύγει ἰδίαν εἶναι ἀνδραγαθήν τὸ ἀπὸ τῆς ἐξουσίας καὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπιχειροῦναι.

modum: ¹ Cum boni nihil, maxime autem Scripturarum intelligentia sine Deo esse non possit; oro te impense, ut ab ipso & Salvatore nostro tuis mihi precationibus impetres gratiam illas rite indagandi.

5. AD locum illum: *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*, prae-mittit, nemini ² insertum à Deo fuisse cor lapideum; sed tale fieri malitia habentis. Respondet deinde, per hoc non intelligi, nihil conferre hominem debere ad cordis emollitionem; dicique illud eo ferè modo, quo promittitur à Magistro auferenda à discipulo ignorantia; quo loquendi modo non intenditur, nihil quoque operæ ac laboris conferendum esse à discipulo. Promittit Deus, emollendum à se cor esse; sed illius, qui id moliri cupiet, eaque de re eundem rogabit. Reddit multis salutem Dominus; sed nonnisi iis, qui se accessere, & oravere. Ad illud Salvatoris: loqui se in parabolis, ut non intelligant, & non convertantur, respondet, non prodesse semper infirmis, ut celeriter sanentur; cum hoc pacto erga malum, tanquam facile sanabile, horrorem non concipiant; eamque ob causam id Deum differre.

6. RESPONDENS ad illud: *Non est currentis, nec volentis* &c. adfert versum illum ex Psalmo: *Nisi Dominus edificaverit domum, invanum laboraverunt, qui edificant eam: nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*; subditque, non significari his verbis, omittendam esse omnem condendam, aut custodiendam urbis curam; sed indicari, nihil prodesse omnia sine ope Divina. ³ *Quemadmodum igitur non erraret, qui diceret, edificium hoc non est opus Architecti, sed Dei, omnia grato animo ei referens in acceptis; licet etiam unicum ipso humana operata fuisset industria: Ita &, cum non sufficiat voluntas hominis ad finem consequendum, neque cursus ipsius, seu atble-tarum ad reportandum Divine vocationis premium, cum omnia hæc cooperante Deo perficiantur, rectè dicitur: Non esse currentis, aut volentis hominis, sed miserentis Dei.* Ita & in agricultura, cum dicitur, quod scriptum est: *Non esse plantantis, aut rigantis, sed, qui incrementum dat, Dei*, ostenditur, terræ fructus esse opera Dei; licet suam etiam symbolam contulerit agricola. Eodem prorsus modo perfectio nostra nec impletur sine nostrâ operâ, neque à nobis solis; sed magna Deo pars debetur. ⁴ Observat Au-

thor præterea, nautas, qui tametsi tantum profundant sudorem, non sibi tamen navigationem felicem tribuant; sed Deo. Demum ait, *multò maiorem esse partem, quam Deus habet in salute nostrâ, atque est illa, quam nos habemus.*

7. Ad illud: *Deus operatur in nobis velle, & operari*, responderet, credi idcirco non oportere, quod malum à Deo sit; neque quod ab ipso proveniat absoluta mali vel boni volitio, aut melioris, peiorisque partis electio; sed quod à Deo sit velle, & operari generatim, ac universè loquendo. Habemus motum à Deo; nec tamen ideo dicendum, Deum in causâ esse, cur nobis quispiam vulnus intulerit. *Deus enim⁵ movendi facultatem nobis impertit: nos verò edam vel ad bonum utimur, vel ad malum.* Dat quippe hoc modo nobis velle & operari generatim acceptum: nos autem hæc facultate non rarò ad malum abutimur. Quod tamen non sinistram in partem accipiendum est, quasi nonnisi auxilium generale admitteret Origenes, & particularis ad omnem actum bonum necessitatem non agnosceret. Audivimus enim ex ipso nuper admodum, requiri semper Dei auxilium; bonaque opera non esse effectus hominis volentis, & currentis, sed miserentis Dei; & mox docentem videbimus, quod velle nostrum, & currere sit quasi nihilum, comparatè ad illam partem, quam ex bonis nostris operibus sibi Dei vindicat misericordia. Quando igitur de universali Dei concursu loquitur, illum duntaxat singularem concursum excludit, qui culpam ac vitium produceret; innuitque, partem habere Deum in omni effectu, non item in defectu.

VII. AD caput nonum S. Pauli ad Romanos, & comparisonem cum figulo, qui ex eadem argillâ effingit vasa alia in honorem, alia in contumeliam, credere neminem profectò debere, sibi ipsi unquam refragari Apostolum. ⁶ Si autem hic intelligeret, Conditorem rerum omnium alios in salutem, alios in interitum condidisse, ⁷ quasi nos eâ in re non haberemus partem, contradiceret omnibus illis locis, quibus peccantes reprehendit, & piè viventes laudibus persecutus fuit. Contradiceret illi, ubi ait: *Oportet omnes nos comparere ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* ⁸ Contradiceret illi, ubi ait: *In⁹ am-*

(1) Vid. Epiphan. hæc. 64. (2) λιθινὴ γὰρ ἔδει ἐκδοῦν ἀπὸ Θεοῦ καρδίαν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πορνείας τοιαύτη γέ-
νηται. (3) cor. 20. ὅπως ἐπὶ ἐκ ἀκροῦ τοῦ ἀνθρώπου θέλῃν πρὸς τὸ τυχεῖν τῆ τέλει; ἔδδ τοῦ τῶν διογῶν ἀδελφῶν
τοῦ γένους πρὸς τὸ λαβεῖν τὸ βραβεῖον τῆς αὐτῆς κλήσεως; Θεὸς γὰρ συμπαραστήσας τὰς αὐτῶν ἀνάγκας; καλῶς λόγους; ἔδδ τῶ
τοῦ γένους &c. (4) ὅτι καὶ ἡμεῖς ἡμεῖς τελειοῦμεν, ἐκ τῆς μὲν ἡμῶν πρᾶξεως γίνεσθαι; ἢ μὲν αὖ ἡμῶν ἀπαρτίσθαι; ἀλλ'
ὅτι Θεὸς τὸ πολὺ τῆς ἡμετέρας ἐνεργεῖ. (5) τὸ μὲν γενικὸν τὸ κινεῖσθαι ἐκδοῦν ἀπὸ Θεοῦ; ἡμεῖς δὲ χροῦμεθα τὸ κινεῖσθαι
ἐπὶ τὰ χεῖρῶν, ἢ ἐπὶ τὰ βέλτερά. (6) ὡς μαρτυρεῖται ταῦτα λέγοντος. (7) ἢ μὲν ἐν σωτηρίᾳ; ἢ δὲ ἐν ἀπωλείᾳ.
(8) 2. Cor. V. 10. (9) 2. Tim. II. 20.

amplā domo non aurea modò vasa esse, & argentea; sed & lighea, & lutea; alia in honorem, alia in ignominiam. Et postea: Si quis igitur¹ se ipsum expurgaverit, erit vas in honorem consecratum, utile Domino, & bonos in usus præparatum. Adverit Origenes: ² Si quis se purgat, evadit vas in honorem; & qui immunditiam vitiorum suorum purgare negligit, evadit vas in contumeliam, non igitur, quantum ex his verbis colligitur, horum causa est Creator; sed ipsemet homo. Facit enim Creator vasa alia in honorem, alia in ignominiam; non ex origine & prævisione talia. Quandoquidem per ipsam nec iudicium, nec condemnationem anticipat; sed vasa in honorem fingit illos, qui se expurgant; & in ignominiam, qui id facere negligunt. Post hæc eximius Author noster declinat, ac deviat, effatis suis præexistentiæ animarum errorem admiscens; ideòque à doctis Philocaliæ collectoribus contextus interruptitur, qui demum clauditur optimo hoc, & notabili documento: ³ Cum igitur Apostolus quandoque non adscribat Deo, quod quis sit vas in honorem, vel ignominiam, sed omnia ad nos referat, (ut in recitato antè loco ad Tim.) & quandoque non nobis, sed Deo adscribere omnia videatur; (ut in loco antè dicto de signo:) non pugnant hæc loca inter se; sed ex utroque integer colligi sensus debet. Neque libertas nostra facit, ut bene operemur sine Dei auxilio; neque Dei nos auxilium cogit ad profectum, nisi & nos ad bonum concurramus. Editiones græcæ habent scientia loco auxilii; sed error cum ex sensu ipso, tum ex Ruffini versione redditur manifestus.

2. In aliud Philocaliæ caput retulere Basilius, & Gregorius ex Commentariis Origenis in Genesin, quidquid pertinet ad præscientiam Divinam; & ad comprobandum, quòd nulla per ipsam inferatur necessitas, aut quedam in actiones humanas invehatur dependentia, quemadmodum nonnulli crediderant Gentiles. Notabile etiam huius Commentarii fragmentum adduxit Eusebius libro sexto Demonstrationis Evangelicæ. Verùm hæc inde dicta Sancti nostri excerpserunt: ⁴ Quemad-

modum, cum quis videt aliquem primum in lapsum ob incedendi imperitiam, causatamen lapsus idcirco non est; ita & Deus non causa est eorum, quæ prævidet: tantumque abest, ut Dei prævisio rerum futurarum causa sit, ut potius ista sint causa prævisionis. Quandoquidem non eveniunt, quia à Deo cognita sunt; sed ideo cognita sunt, quia certo eveniunt. ⁵ Observat itidem, præcipere sæpe Deum in Scripturâ Prophetis, ut prædicent penitentiam, & quasi celare eis, prævidetur, an convertendi sint auditores, an in peccatis perstituri. Dicitur e. c. in Jeremiâ: Forè audient, & convertentur; non quasi ignoret, an redituri sint ad frugem, vel non sint; sed ut hoc modo ostendat, æqualem ipsos ad utrumque potestatem habere. Dicitur itidem: Forè obediunt, & agent penitentiam. Non ita loquitur, quasi ignoraret, an penitentiam acturi essent, vel non; sed ut hoc dicto manifestam faciat facultatem ad utrumque, quam habebant; & ne præscientia eriperet ipsis animos, quòd existimarent se ad conversionem non amplius fore liberos.

3. De Prædestinatione amplexus fuit sententiam docentem, quòd destinatio ad gloriam funderur in meritis à Divinâ gratiâ productis; unde in capite ex libro I. Commentationum in Epist. ad Rom. excerpto, ad locum illum de Prædestinatione, qui in glorificatione desinit, dixit, separationem, ⁷ quæ sit per præscientiam, non tollere libertatem arbitrii; neque negotii quidquam faceffere Apostolum dicentem, Deum vocasse, quos prædestinavit, & iustificasse, quos vocavit; sufficit enim dictorum ipsius ordinem observare: ex quo apparet, non prædestinationem præcedere, sed præscientiam; quandoquidem ait D. Paulus: ⁸ Quos prævidit, prædestinavit; postquam prædestinatos vocavit, & vocatos iustificavit, & iustificatos glorificavit. Non est igitur Deo, subiungit Interpres, prædestinatio vocandi, & iustificandi principium, intellige ad gloriam; si ita esset, ipsæque eorum quæ sequuntur, radix foret, rectè loquerentur illi, qui inest ad naturæ motum reperunt: sed est anterior prædestinatione præscientia, dicente Apostolo: quos au-

(1) εἰς τὴν ἐκκαθάραν αὐτῶν, ἵνα οὕτως εἰς τιμὴν ἡγιασμένοι. (2) εἰ γὰρ ὁ ἐκκαθαράς αὐτῶν γίνεται οὕτως εἰς τιμὴν, ὁ δὲ ἀπεκαθαράς αὐτῶν περιδοῖν οὕτως εἰς ἀτιμίαν, ὅταν ἐπὶ ταύταις ταῖς λέξεσιν, ὡς αὐτὰς αὐτὸς ὁ δημιουργός· ποῦ μὲν γὰρ ὁ δημιουργός οὕτως τιμῆς, καὶ οὕτως ἀτιμίας ἐκ ἐρχομένων κατὰ τὴν πρόνοιαν; ἐπὶ μὴ κατὰ τὴν προκατακρίνει, ἢ προδικαίει, ἀλλὰ &c. (3) ἐπὶ δὲ ὅπου μὲν ὁ Ἀπόστολος ἡ προσπολεῖται τὸ ἐπὶ τῷ Θεῷ εἰς τὸ γινέσθαι οὕτως εἰς τιμὴν, ἢ εἰς ἀτιμίαν, ἀλλὰ τὸ πᾶν ἐφ' ἡμᾶς ἀναφέρειν δοκίμ., ὅτι ἐν ἐναντιωμάτων τὰ ἐρημίαι &c. ἐπὶ τῷ ἴδιῳ ἡμῶν χάρις τῆς ἐπιστήμης (leg. ἐπιστήμης) τῷ Θεῷ, ὅτι ἡ ἐπιστήμη (leg. ἐπιστήμη) τῷ Θεῷ προκατακρίνει ἡμᾶς ἀνακαίρει, ἵνα μὴ καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν συνιστάμεθα. De Princ. l. 3. Nili hæc ipsa voluntas . . . Divino vel adjuvetur, vel muniatur auxilio. (4) cap. 22. (5) γὰρ ἐπὶ ἡρώσων, γίνεται, ἀλλ' ἐπὶ γινέσθαι ἡμελ- λει ἡρώσων. (6) ἐπὶ πολλὰ καὶ τῶν γραφῶν ὁ Θεὸς καλεῖται τὰς προφῆτας κηρύττειν μετανοίας προετοιμασμένους (malè in editis & præmittitur, quæ particula sensus invertitur) τὸ προετοιμασμένους, πότερον οἱ ἀκούοντες ἐπιστρέφουσιν, ἢ τοῖς ἀμείψουσιν αὐτῶν ἐμμένουσιν; ὥστε ἐν τῷ ἱερῷ λέγεται· ἵνα ἀκούοντες καὶ μετανοήσουσι; ἢ γὰρ ἀκούοντες ὁ Θεὸς πότερον μετανοήσουσι, ἢ &c. ἀλλ' εἰσὶν τὸ ἰσοσώγιον τῶν διαμένων γινέσθαι δεκτικὸς &c. (7) cap. 21. ὅτι ἐκ προνοίας ἀφορισμός ἐκ ἀναίρειν τὸ ἀντιθέσειον. (8) Rom. VIII. 29. (9) καὶ ἐν αὐτῇ ἀρχῇ τῆς κληρονομίας, καὶ τῆς δικαιοσύνης καὶ ὁ προορισμός· ἐπὶ γὰρ εἰ ἢ ἡ ἀρχὴ τῶν ἐξῆς, καὶ πιδανώτατα ἐκείνου οἱ παριστάμενοι τὸν περὶ φύσεως ἀπορίας λόγον; ἀντιθέσει δὲ ἐπὶ τῇ προορισμῶς ἢ προνοίας &c.

tem præscivit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Prospiciens igitur Deus rerum futurarum seriem, observansque liberam quorundam inclinationem erga pietatem, & post inclinationem in eandem futurum imperium; & quomodo se totos daturi sint vitæ virtuosæ; eos ante ita novit, ac perspicit, tanquam is, qui res & videt præsentis, & futuras. Quos igitur tales fore prævidit, hos & prædestinavit. Hinc denuo: ¹ Non igitur credendum est, præscientiam esse causam futurorum; sed quia ita futurum erat secundum proprias operantis affectiones, idcirco præcognovit: & cum omnia videret antè, quàm sint, aliquos prædestinavit, ut essent imagines Filii sui; & alios ab hac agnovit alienos. Adjungit paulò post: Proposui sui, & præscientiæ causam esse nostram libertatem, demonstravit abunde dictum illud: Scimus, quia amantibus Deum omnia cooperantur in bonum; quod idem est, ac si dixisset: Omnia ad ipsorum utilitatem conferunt, quia Dei amatores digni sunt, qui juventur. Inculcat porro, & urget: Ponamus, quasdam actionum nostrarum liberas esse; etiam has certò prævidebit Deus. Facièntne igitur præscientia, ut liberæ non sint? Dicere hoc non licet: quia ponimus esse huiusmodi, eumque illas ut tales antè videre; non itaque harum causa est scientia: statque igitur inconcussa cum præscientiâ libertas.

4. CAPITE sequente legitur: ² Quemadmodum fructus agriculturæ est mixtum ali-quod proveniens & ex electione agricolæ ex arte laborantis, & ex providentiæ beneficio ob ævis temperiem, & pluviam sufficientem, extra ipsius facultatem positam; ita & opus bonum hominis ratione præditi est compositum quoddam, ex ipsius electione, & Dei virtute, qui, quod melius est, inspirat eligenti, consurgens. Non solum itaque ad hoc, ut honestè, ac bene operemur, opus nobis est voluntate nostrâ, & Divinâ inspiratione à nobis non pendente; sed eò etiam, ut cum tales fuerimus, etiam perseveremus in bono. Quoniam, etiam qui perfectus est, cadet; si virtutis opinione elatus sibi meti tribuerit; non relatâ gloriâ debitâ ad eum, qui ad acquirendam illam, & recipiendam multò plus contulit, quàm nos. Paulò post: Forjan ideo S. Apostolus, videns, multò minus esse id, quod nostra confert electio ad acquisitionem boni, quàm id, quod Dei virtus confert, dixit tandem: Non est volentis, neque currentis, sed misericordiam Dei; non quòd sine cursu nostro, & voluntate misericordiam exhibeat Deus; sed quia velle nostrum, & currere, quasi pro nihilo reputandum est com-

paratè ad misericordiam Dei. Quam ob causam ipsi convinit tribuere bonum, non autem homini volenti, nec currenti.

VIII. SUMEMUS jam in manus S. Marti-
tyrem, atque insignem Episcopum Cy-
priani, qui in Epist. ad Cornel. in edi-
tionibus antiquis ita observat, non fuisse
Christum vociferatum, neque minas in-
tentasse se desertentibus; sed converso ad
Apostolos vultu, vultis fortasse, dixisse ip-
sis, & vos abire? Hic advertit ipse, quomo-
do Salvator observaverit hanc ratione legem,
quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio
proprio constitutus, sibi ipse vel mortem appe-
tit, vel salutem. ³ In libro de Unit. Eccl.
loquens de hæresibus nascentibus ex eo,
quòd nolint unitatem, dicit, permitti eas
à Deo, manente in hominibus propriæ volun-
tatis arbitrio.

IN tertio ad Quirinum, quo autoritates
Scripturæ ejusdem rogatu collectas com-
plexus est, ex capitibus, quæ tanquam re-
ctè credendi, vivendique normam pro-
ponit, unum illorum etiam hoc est: ⁴ In
nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit;
aliud item ex præcipuis: ⁵ credendi vel
non credendi libertatem in arbitrio positam.
In cujus rei confirmationem adfert illud
ex Deuteronomio: Posui ante te vitam &
mortem. Ex Isaia: Si volueritis; & ex S. Lu-
câ: Regnum Dei intra vos est. Capite 9. mo
statuitur: tantum unumquemque tentari,
quantum potest sustinere. Centesimo: gratiam
Dei gratuitam esse debere, & intelligit eam
non pretio obtineri. Quare citat S. Petri
dictum ad Simonem: ⁶ Pecunia tua tecum
sit in perditionem; quoniam domum Dei exi-
stimasti pecuniâ possideri. Eodem libro ha-
betur: ⁷ Insistendum esse, & perseverandum
in fide, & in virtute, & in consummatione
spiritualis, & celestis gratiæ, ut pervenire pos-
simus ad palmam & coronam. Adducitur
inter cetera loca ex Paralipomenis: ⁸
Dominus vobiscum est, quamdiu & vos estis
cum ipso: si autem dereliqueritis eum, dere-
linquet vos. Item: Qui perseveraverit usque
in finem, hic salvus erit.

2. IN Epist. ad Magnum habemus:
Quemadmodum sol & dies omnibus lu-
cent; ita Christum, solem & diem verum, in
Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari aquali-
tate largiri. ⁹ Habemus ibi, quòd manna
in omnes deplurum denotârit, Christi
indulgentiam, & celestem gratiam postmo-
dum secuturam, æqualiter omnibus dividi, sine
sexus varietate, sine annorum discrimine, sine
acceptioe personæ, & super omnem Dei po-

(1) ὁ νομίζων τοῦτον ἀντίον τῶν ἐπομένων τὴν πρῶτον εἶναι, ἀλλ' ἐπὶ ἑμῶν γινώσκω κατ' ἰδίαν ὅπως τὰ ποιῶντες, διὰ
τὸ τοῦτο. &c. (2) cap. 25. καὶ ὡς περὶ ἐὰν ἵπταμι τὸ γινώσκον ἀγαθὸν τὸ ποιητικὸν τὸ κατὰ μὲν μικτὸν εἶναι ἐν
προσώπῳ τὸ κατὰ τὴν τέχνην τὸ γινώσκον, καὶ ἀπορροῖται τὸ παρὰ τοῦ προποίου κατὰ τὴν αἰσθητικὴν ἐκτασίαν,
καὶ φασὶν αὐτὰς εἶναι ἀπὸ τοῦ τοῦ λεγόμενου ἀγαθοῦ μικτοῦ εἶναι &c. (3) S. Cypr. Epist. 55. (4) Testim. l. 3.
Procem. n. 4. (5) n. 52, 91, 100. (6) Act. VIII. 20. (7) n. 8. (8) Paral. II. 15. (9) Epist. 69.
ad Magn.

pulum spiritalis gratiæ munus infundi. Plane eadem gratia spiritalis, quæ æqualiter à crementibus in baptismo sumitur, in conversatione, atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur; ut in Evangelio dominicum semen æqualiter seminatur; sed pro varietate terræ aliud assumitur, aliud in multiformem copiam, vel tricesimi, vel sexagesimi, vel centesimi numeri fructu exuberante cumulat.

In Epistolâ, quæ jam prima est, affirmat: *Donum Divinum esse gratuitum, & facile: sicut enim sol sponte lucet, sic ut dies illuminat, fons irrigat; sic Spiritus Cælestis in nos se effundit.* In eadem dicit, primum sibi visum fuisse impossibile, ut se converteret, christianèque viveret: at ex quo baptismum suscepisset, tantum se sibi lumen infudisse, ut nihil non potuerit. Et sicut non est jactantiæ, sed gratitudinis, quidquid non virtuti hominis ascribitur, sed de Dei munere prædicatur, ut jam non peccare esse ceperit fidei, quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est, inquam, Dei, omne quod possumus, inde vivimus, inde pollemus; atque ita de ceteris. Alibi etiam loquens de Martyrio dicit, à Deo provenire facultatem patiendi; unde, cum victores coronat, remunerat in nobis, quidquid ipse præstitit. Ad consequendam tamen coronam perseverandum in fide, & virtute.

3. INTERPRETANS Orationem Dominicam, ait per *Pater noster* intelligi: *Pater eorum, qui credunt, eorum, qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis nativitate reparati filii Dei esse ceperunt.* Per verba: *Sanctificetur nomen tuum*, peti ait, & rogari, ut qui in baptismo sanctificati sumus in eo, quod esse cepimus, perseveremus. Qui locus cum aliis similibus relatus deinde fuit ab Augustino *Tract. de Panit. & lib. 4. ad Bonif.* Cum oramus, ut fiat voluntas Divina, intelligi declarat, non ut Deus faciat, quod vult; sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. Perpetuum est bellum carnem inter & spiritum; hinc oramus, ut possitis aliquando odiis inter se conspirent. Quotidianum autem panem dari nobis quotidie postulamus, inquit, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, (is enim mos obtinebat in Africâ) intercedente aliquo graviore delicto, dum abstinentes, & non communicantes à Cælesti pane prohibemur, à Christi corpore sepaveamus. Ad illud: *Et ne nos inducas in tentationem*, legit ipse: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*; docetque, non posse in nos adversarium, nisi quantum ei permittit

Deus, ut possit. Deinde allegans illud Joannis: *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Subjungit: Magna benignitas, magna Domini pietas pro salute nostrâ, ut non contentus, quod nos suo sanguine redimeret, adhuc pro nobis tanta rogaverit; scilicet ut unum fiamus cum ipso.

IX. MINUTIUS Felix, qui Cypriano antiquior vulgò creditur, facit, ut Genitilis, quem suo in dialogo loquentem inducit, objiciat Christiano quandam Fati speciem, quam plurimi etiam nostrum admittant, Deoque tribuant. Quo fit, ut deinde opponat, inde innocentiam & culpam provenire; & præmium non constitutum esse sponte cupientibus, sed electis. Atque idcirco nos increpat his verbis: *Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem.* Accusatio tam falsa mira nemini videri debet. Non enim exteri homines capaces erant nostrorum assequendorum dogmatum; nec capere poterant, Prædestinationem à nobis admitti. Quid? quod cum dicat, sententiam hanc plurimorum esse Christianorum, non omnium, in proptulo est, eam ipsum collegisse ex Gnosticis, ceterisque hæreticis. At frustra ipsum Fati se nomine tueri respondet Christianus, non repudians isthoc vocabulum, sed sano id sensu exponens: *Mens tamen libera est, ait, & ideo actus hominis, non dignitas judicatur.* Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? qui cum possit præscire materiam, pro meritis, & qualitate singulorum etiam fata determinat: ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura puniunt.

2. ARNOBIUS mox à conversione, nostrisque nondum plene dogmatis imbutus animum appulit ad scribendum; atque idcirco nonnullos admisit errores, qui in causâ fuere, cur Gelasius Papa ejus Scripta non comprobavit. In re nostrâ tamen se conformavit doctrinis communibus, & libro 2do illi, qui obmovebat Christianis, cur Christus, si tanquam generis humani Servator venit, non æquali omnes munificentia servasset, in hæc verba respondet: *Non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? haud ab indulgentia principali quenkam repellit, aut respuit, qui sublimibus, infimis, servis, feminis, pueris, uni formiter potestatem veniendi ad se facit. Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque abjure potandi quisquam prohibetur. Si tibi non libet, quid invitans peccat, cujus solæ hæ sunt*

(1) ad Nemesian. (2) Exhort. Mart. c. 8. (3) in Orat. Dom. (4) Joan. XVII. 20. (5) Minut. Fel. in Dial. Culpam tamen vel innocentiam fatis tribui sententiis plurimorum etiam vestra consensio est; nam quidquid agimus, ut alii fatis, ita vos Deo addicitis: sit scilicet vestra, non spontaneus cupere, sed electos. (6) Arnob. adv. Gent. lib. 2.

partes, ut sub tui juris arbitrio fructum sua benignitatis exponat? sortem vitæ eligendi nulli est, inquit Plato, Deus causa; neque alterius voluntas adscribi potest cuiquam recte, cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate, qui voluit. Et quia reponebat adversarius, cogere debere Deum homines ad bonum, vis ergo est ista, ait Arnobius, non gratia; & paulo post: Tu qui te verti, & vim desideras perpeti, ut id nobis efficias, atque arripas coactus, cur respiciis assumere voluntate id, quod versus desideras, atque immutatus efficere?

Lactantius.

3. COLLOCABIMUS hic Lactantium, discipulum Arnobii, ut author est Hieronymus, ¹ tamen si sæculo sequenti optimo jure adscribi posset. Hic de Hebræis obstinatis ita differit: ² Ad eos ipsos misit, quos oderat, ne illis in perpetuum salutis viam clauderet; sed daret his liberam facultatem sequendi Deum, ut & præmium vitæ adipiscerentur, si secuti fuissent; quod plurimi eorum faciunt, atque fecerunt: & culpâ suâ in penam mortis incurverunt, si Regem suum repudiassent. Legitur alio capite ejusdem libri, quod omnem homini excusationem exemplo suo præciderit Servator, imponens ³ hominibus parendi necessitatem, non vi aliquâ, sed pudore; & tamen libertatem relinquens, ut & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si vellent; & non parentibus pœna, quia poterant parere, si vellent.

Methodius.

4. METHODIUS Tyrionum Episcopus scripsit librum de lib. Arbitrio. Quoddam illius fragmentum debemus S. Epiphanio, & Photio. Contra id, quod nonnulli Deum faciant authorem ⁴ mali, adducit, quod non possit author esse illorum, quæ abhorret, & respuit; & alibi: hominem non fuisse conditum, ut periret, sed ut redderetur melior. Deus, inquit, honore volens officere hominem, facultatem ei largitus est faciendi, quod libet. Arbitrium autem, ait, consistere in potestate obediendi, aut non obediendi Deo præcipienti. Querimoniam Divi Pauli de luctâ, quam in semetipso experiebatur, hoc agens, quod noluisse, & non agens, quod voluisset, bonum, existimat intelligi debere de cogitationibus, non de operibus; cum in nostrâ potestate non sit, ut animo occurrat, vel non occurrat malum; sit tamen, ut id exequamur, vel non exequamur.

Eusebius.

X. His quoque accensebimus Eusebium, licet ad alterum potius sæculum spectet. Is in *Præparat. Evang.* totum quasi librum gratum confumit in diluendis iis, quæ con-

tra liberum arbitrium obmoveri possunt, & reipsâ obmovebantur. Confutat speciatim omnes illos, qui propugnabant Fatum, & stellarum virtutem insuperabilem, omnem hoc pacto subvertentes libertatem. Ostendit, quàm insolens sit stultitia opinantium, operationes nostras, & cogitationes externâ necessitate, vi insuperabili, certâque serie, & fixâ causarum, effectuumque connexionione impelli, & gubernari. Siquidem, hoc posito, in auras abibit Religio, abibit Philosophia, desinet esse disciplina, desinet virtus, & vitium. ⁵

Quorum enim verò omnes conatus mei? quorum insulam operam in iis mihi rebus procurandis, quæ ne desiderare quidem potero, si id mihi non concedatur à fato? Cui bono sunt admonitiones? cui bono leges? Quid? quod iniquæ sunt leges in illum, qui ad peccandum violentè impellitur. Porro cui bono erit pietas & oratio? si ad necessitatem, quæ extra nos est, ceu catenâ quâ iam trahimur bestiarum mori, ita, ut contrâ, quàm velimus, cogamur eligere? ⁶ Observat insuper Author, qui in hac erant opinione, eos dum libros de institutione adolescentum, moribusque refingendis conscribebant suam, quin d animadverterent, sententiam evertisse. Sapienter notat, nostram ipsosmet nos libertatem persentiscere, & quod à nostro ipsi consilio, atque arbitrio moveamur, percipere. Sed quoniam homo non constat naturâ simplici, utpote ex anima & corpore concretus; hinc fieri, ut corporis modò sequatur impulsus, modò animæ dictaminibus morem gerat; atque idcirco certâ quâdam ratione eodem simul tempore in servitute esse, & libertate. Animam appellat Imperatricem; quod ipsi idem est, ac absoluta suarum motionum domina, habens in se ipsa omne instrumentum ad ferendum judicium, nactâque à Deo tam pulchrum privilegium libertatis. ⁷ Adducens porro effatum illud: Culpa non Dei, sed eligentis est, adjungit, non posse culpam proficisci à naturâ, quæ bona à Deo effecta sunt perinde, ac cetera omnia, quæ fecit; datûmque ipsi esse liberum arbitrium, ut bonum eligat, illudque à naturæ legibus deviare, cum malo adhærescit.

2. HABEMUS nunc etiam impressum illius Scriptoris Commentarium in Psalmos, multâ cum eruditione in lucem emissum, non sinè ope SS. Literarum. In Catenâ græca latine per Danielelem Barbarum

(1) Hier. Ep. ad Magn. (2) Lact. l. 4. c. 11. (3) cap. 24. (4) Method. edit. Comb. p. 354. καὶ πῶς ἐκ ἀποστολῆς ἢ τοῦ Θεοῦ τῶντων λόγων εἶναι δημιουργοὺς τῶν πάντων παρατηρούμενοι; pag. 371. Οὐκ οἶμαι τοὶ κατὰ τὸν Θεόν. (5) Præpar. Evang. l. 6. c. 6. εὐχρηστὰς σοὶ φιλοσοφία, εὐχρηστὰς καὶ ἐπιστήμη Θεοῦ, πρὸς δὲ οὐδὲν προθυμίας ἀποδοτικῆς, εἰ μὴ καὶ τὸ τοῦ κατὰ φύσιν μοῦ. (6) ἐλπίδα κατὰ προαίρεσιν. (7) ἐπειδὴ τὸ τοῦ γένους ἐξαιρέτως κατὰ Θεοῦ λαβεῖν, ἐλπίδα, καὶ ἀντοκράτωρ τῆς χάριτος τῆς δικαίας ἐργίας, τοῦ κρείττους εἰς αὐτὴν ἀναδιδόντος.

editâ habebamus jamtum cum aliorum etiam Authorum Commentationibus Eusebii expositionem in primam Quinquagenam. Affirmat Possyvinus, verissime Barbarum etiam reliquos, sed non prodire. In hoc igitur Commentario hæc verba: *Nolui intelligere, ut bene operaretur*, sic explicantur: *Poterat impius, utpote sui juris, bonam inire viam, sed noluit.*² Advertit alio in loco, non talis naturæ fuisse, quæ salutem consequi non posset: liquidem potiri illâ perinde poterat, acceteri Apostoli. Illum locum: *Declinaverunt peccatores à nativitate, & erraverunt ab utero matrum suarum*, explicat per præscientiam Dei, apud quem reprobat jam³ erant prius etiam, quam nascerentur, quia quales futuri essent, prævidebat. Comparatione illâ ab aspide, quæ, ut incantatorem non audiat, aures obstruit, petirâ, innui asserit hominem, qui Verba Divina non audit, non quod obsurdescere animam fecerit Deus, sed quod talem humana efficiat voluntas; cum omnes homines sint naturæ liberæ, suisque juris, & possint judicare inter bonum & malum, habeantque in se ad utrumque sese inclinandi facultatem.⁴ Peccatoribus itaque, licet tales fuerint prævisi, non solum Deus dedit, ut nascerentur,⁵ sed suam ipsis insuper gratiam donavit, ut suam manifestare possent electionem. Atque omnes similes naturâ constituens proprio etiam ad rerum meliorum electionem uti arbitrio omnibus ex æquo concessit. Illi autem sui jam juris effecti, perfectique liberi existentes, absoluto suo arbitrio se disjuxerunt, his quidem rectam, illis verò obliquam viam eligentibus. Citat deinde D. Paulum dicentem: *Prædestinati secundum præscientiam, & propofiti nomine intelligit Dei voluntatem; monerque, prædestinasse ipsum illos, quos se amatuos prævidit;*⁶ & repudiâsse, quos vidit fore injustos; quanquam eos permiserit nasci mundo, ut iustorum, proavorumque virorum discrimen ex institutâ cum impiis

comparatione magis elucescat.⁷ An significare per hoc voluerit, Deum ex præscientiâ meritorum in salvando, uti ex demeritis in puniendo, omnia metiri, hujus loci non est examinare. Declarat porro, eorum damnationem inde fuisse enatam, quod ab ejus se gratiâ abalienârunt, id est noluerint eam suam in rem vertere. Objurgat alibi posteros Abrahami, quod noluerint terere viam Domini, quantumvis penes ipsos esset & velle & posse.⁸

In versiculos illos: *Da mihi intellectum! Deduc me in semitam mandatorum tuorum! Inclina cor meum!* advertit, quomodo Viri sancti omnia ad Deum referant, docentes, sine Deo nihil nos posse.⁹ Proponit deinde objectionem illam: *Si omnia ad Deum referuntur, ubi est igitur facultas nostra?*¹⁰ & respondet, micere semper partem, quæ Deo, & eam, quæ nobis in eo comperit; id quod ostendit in ipsis his versiculis: *Legem pone mihi Domine, viam justificationum tuarum.* Hoc certò à Deo est; at nostrum est, quod sequitur: & exquiram eam semper. Ego peto à Deo: da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; sed reliqua ad me pertinent: Et custodiam illam in toto corde meo. Pariter à Deo postulo: Deduc me in semitam mandatorum tuorum; meæ verò partes quales sunt? quia ipsam volui. Paucis: ¹¹ flagitamus à Deo, quod ab ipso est; promittentes simul, id quod nostrum est. Ubi jam reponemus ea, quæ protulit disputans de Judâ: quod ¹² participaverit gratias æquales iis, quas ceteri acceperunt Apostoli; quod bonam de eo spem habuerit Servator, propterea quod & ipse gaudebat libertate arbitrii; quod per naturam ejus non steterit, quo minus saluus effectus sit, sed quod potuerit, si voluisset, à DEI Filio ceterorum instar Apostolorum institui, bonusque evadere discipulus & perfectus.

Atque hic figemus pedem, ne fortè nimii simus in rebus ad minutias usque investigandis.

(1) Catena. Aurea in L. Psalmos Græcorum, Daniele Barbaro Interprete, Venet. 1569. (2) Collect. nov. tom. I. p. 144. *αὐτεξούσιος ὢν, καὶ δυνάμεως μὴ τὴν ἀνάγκην μεταλλάττειν ἑδὼν, μὴ βουλῆς δι.* (3) *ἐν πεπλανημένοις ἐλαχίστην παρ' αὐτοῦ καὶ μέλλοντες ἐκδοῦν τοῖς τοῖς ἐκ ἡννοῦτο.* (4) pag. 257. *ἐπειδὴ γὰρ φύσεως ἐλευθέρους καὶ αὐτεξούσιον γενόμενοι διακριτικοὶ τε καὶ καλῶς, καὶ τὴν ἐναντίαν, τὴν τε εἰς ἐκάτερα ῥοπὴν τὴν ἐν αὐτοῖς κεκτῆται.* (5) *τὴν αὐτὴν χάριν καὶ αὐτοῖς δωρησάμενος εἰς τὸ φανεῖν γενέσθαι τὴν προαίρεσιν.* (6) *ὡς περ ἐν τούτοις προγεννῶντες ἡμεῖς αὐτοὶ, οἱ μὴ τὴν ἐνδοξίαν ἀδελφῶν, οἱ δὲ τὴν διάκρισιν ἡμεῶν.* (7) *ὡς αὖ τὸ διαφέρειν τῶν δικαίων καὶ διεστῆσθαι ἀνδρῶν ἐκ τῆς τῶν χειρῶν παραθέσεως διαλαλέμεν.* (8) *τὴν δὲ ἐναντίαν, ὡς αὖ ἐναντίον ἀπαλλοτριώσαντες τῆς αὐτῆς χάριτος, καταβάλλει.* (9) p. 467. *καὶ τοὶ ἐπ' αὐτὸς κειμένη τὴ δύναμις, καὶ τὴ βουλὴ.* (10) *πάντα ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ἀναδύναντι οἱ ἅγιοι, διδασκοντες ἡμῶς, οἱ γὰρ Θεὸς ἑδὼν δύναμιν, (11) πᾶ τὸ ἐπ' ἡμῶς; (12) ὡς αὐτῶν τὰ ἀπὸ Θεοῦ προγενέσθαι ἡμῶν, παρ' ἡμεῶν καὶ τὰ ἐφ' ἡμῶν.* (13) p. 171. *ἐπειδὴ καὶ αὐτῶς ὁμοίως τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις τὴν ἰσὺν μετέδιδε χάρισματων, ἀλλ' οἷός τε ἦν διελθεῖς ὁμοίως.*

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER V.

Quo repræsentantur Dogmata, & Opiniones Sanctorum Patrum aliorumque Scriptorum quarti Sæculi.

MAGNAM profectò molestiam, ac prope nauseam crearet hic liber omni illi, qui alio eum consilio lectitaret, quàm ut in proposito nobis argumento primorum Sæculorum christianorum Opiniones, & Dogmata sincerè videat collecta. Simplex quippe, ac nuda locorum congeries voluptatem asferre non potest, nisi illi, qui eorum vim intimè perspiciat; intelligatque, quænam inde profluant confectaria. Jucundus tamen hujusmodi liber accidere nemini potest, præterquam iis, qui autographorum duntaxat avidi adverterint, posse se hæc methodo plenam facillè notitiam acquirere de totâ serie illorum dogmatum, quæ plurimum annorum studio starent ipsis, laborèque non modico, si in tot, tantæque molis voluminibuseam suo deberent Marte indagare. Cæterùm hoc aliud non est, quàm suos ad fontes revocare ipsam etiam Theologiam scholasticam. Primi quippe illius inventoris, Petri inquam Lombardi, Opus consistit potissimum in perpetuo quodam textu locorum ex Patribus, qui ejus ævo magis in promptu erant, ac præcipuè Ambrosio, Hilario, Hieronymo, & præ ceteris Augustino. Noverat is optimè documentum Vincentii Lirinensis, ¹ Religionem Catholicam rem esse non inventam, sed traditam.

Athanasius.

I. INITIUM ducturi hoc loco sumus à Patre in paucis celebri, à Divo inquam Athanasio. Attingit is *Orat. 1. cont. Arianos*, ² quomodo per primum delictum mors subintravit in mundum, & in omnes homines transfusum fuerit peccatum. In eadem ex quodam Arianorum Sophismate apparet, fuisse tum temporis communem omnium opinionem, hominem si non haberet voluntatem liberam se movendi, atque in utramvis partem inclinandi, ³ fore instar ligni, ac lapidis destituti arbitrio.

2. IN alterâ haber, ⁴ quo modo gratia Salvatoris in ipsius adventu apparuerit, atque eluxerit. Veruntamen præparata erat antè, quàm nasceremur, mundusque

existeret. Siquidem cum Deus Adamum & peccatum, & Paradiso ejiciendum præviderat, suâ motus benignitate in proprio Verbo præordinavit remedium, nè semper maneremus mortui, sed redemptionem, & salutem inventientes surgere-mus, vitamque consequeremur immortalem, faciente illo se ipsum primum mortuorum & resurgentium, ac proinde inter fratres primogenitum. Innui hoc dicit ab Apostolo, quo loco habet, quodd Dominus nos non ex operum nostrorum merito, sed suâ voluntate, & gratiâ nobis ante secula concessâ vocârit, atque ante constitutionem mundi elegerit, ut adoptaremur in filios.

IN tertiâ docet: ⁵ Volenti, & eligenti facultatem esse ad utramque partem se movendi, atque hanc naturæ rationalis affectionem, ac proprietatem esse. Reperit deinceps, voluntatem ad utrumque motum & inclinationem habere. Docet eadem Oratione, gratiam peccando amitti, ac dolore ita recuperari, ut nunquam amplius deferat volentem, modò peccator ducatur penitendæ.

3. IN Oratione contra Idololatriam, aut si mavis adversus Gentiles ita differit: ⁶ Via veritatis in vero Deo suum habebit scopum. Ad ejus tamen agnitionem, accuratamque comprehensionem aliâ nobis re opus non est, quàm nobismet ipsis, supposito Divino auxilio. Nec, quemadmodum Deus rebus omnibus sublimior est, ita via ad ipsum condu-cens extra nos est, & remota: sed existit in nobis ipsis, ejusque invenire possumus principium; quemadmodum docuit Moses, cum dixit: Juxta te est Sermo valde, (intellige fidei) in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum; ⁷ idquod etiam indicavit Servator, confirmavitque dicens: ⁸ Regnum Dei intra vos est. Cum enim & fides, & regnum Dei intra nos sint, in promptu est contemplari, & intelligere Dominum universorum, Verbum salutare Patris.

4. In vitâ S. Antonii ait, reportâsse ipsam victoriam, quia ⁹ cooperabatur ipsi

(1) Vinc. Lir. in Common. (2) Athan. l. c. n. 51. εις πάντας ἀνθρώπους ἡφθαρτοὶ ἡ ἀμαρτία. (3) n. 35. ὡς λίθος καὶ ὕλην ἐκ ἧς τὴν προαίρεσιν ἐλευθέρων εἰς τὸ κινεῖσθαι, καὶ ἔπειτα εἰς ἑκάτερον. (4) n. 75. ἡ γὰρ παρὰ τῷ σωτῆρι &c. (5) n. 62. τὸ γὰρ βελούδιον καὶ προαίρεσθαι εἰς ἑκάτερον τὴν ῥοπὴν ἔχει. καὶ λογικῆς φύσεως ἐστὶ τὸ τοῦ πάθος. n. 66. ἐν ἀμφω ῥοπὴν ἔχει. (6) cont. Idol. n. 30. ἡ δὲ τῆς ἀληθείας ὁδὸς πρὸς τοὺς ὄντας ὁρὰ Θεοῦ ἐστὶ τοῦ σκοποῦ. πρὸς δὲ τὴν ταύτης γνώσιν, καὶ ἀκριβῆ κατὰληψιν ἐκ ἄλλων ἐστὶν ἡμῶν χρεία ἀλλ' ἡμῶν αὐτῶν ... ἀλλ' ἐν ἡμῶν ἐστὶ, καὶ ἀπ' ἡμῶν ἐκτείνῃ τὴν ἀρχὴν δευτέραν. (7) Deut. XXX. 14. (8) Luc. XVII. (9) Vit. S. Ant. n. 5. συνέχευε γὰρ ὁ Κύριος ἀπὸ τοῦ ... ὥστε τῶν ὁρίων ἀγνοεῖσθαι ἑαυτοῦ λόγιον, ἐκ τῶν &c. n. 7. μάλλον δὲ τῷ σωτῆρι, καὶ τῷ τοῦ γένους ἐν τῷ Ἀντωνίῳ τὸ κατεξομα.